DISPUTATIONUM DE INDULGENTIIS, ADUERSUS NOSTRAE TEMPESTATIS HAERETICOS, AD...

Miguel Medina



VIRIS AC DOMINIS
EMINENTER REVERENDO, PERILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS
REVERENDISSIMI SERENISSIMIQVE
DVCIS SAXONIÆ
DOMINI, DOMINI
MAVRITII WILHELMI
EPISCOPATVS MARTISBVRGICI POSTVLATI ADMINISTRATORIS &c. &c.
SPLENDIDISSIMIS IISDEMQVE
INTIMÆ ADMISSIONIS
CONSILIARIIS,
DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS
ET PATRONIS MAXIMIS

QVALESCVNQVE HASCE CONATVVM ACADEMICORVM PRIMITIAS
EA, QVA DECET, DEVOTI ANIMI PIETATE
ATQVE OBSERVANTIA
D. D. D.
EORVNDEMQVE SVMMO PATROCINIO
SE ET MVSAS SVAS QVAM COMMENDATISSIMAS
ESSE CVPIT

AVCTOR.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

PROEMIVM.

NE nescias, L. B., quid in elaboratione levis hujus dissertatiunculæ, quam Tuo conspectui jam exhibeo, a me præstitum fuerit, & qua occasione inductus ei adornandæ me accinxerim, in ipso statim ejus vestibulo paucis docendus es. Diu nimirum est, quod suasu & consilio Parentis mei optimi, cujus auctoritas pro ratione mihi semper sufficit, exstimulatus fuerim, ut qualescunque ingenioli mei periclitaturus vires publicam aliquando conscenderem cathedram ea maxime de causa, ut studiorum meorum, quibus hucusque operatus sum, justa SUPERIORIBUS constaret ratio. Hinc cum in eo omnis cura atque cogitatio mea unice defigeretur, ut voluntati paternæ aliquando satisfacerem, ante omnia idonea quædam materies mihi circumspicienda erat, quæ erudito huic conflictui commode destinari posse videretur. In qua seligenda cum brevi abhinc tempore sollicitus essem, casu quodam accidit, ut in *literarias* easque elegantissimas *ephemerides* inciderem, quæ sub titulo *der unschuldigen Nachrichten von alten und neuen Theologischen Sachen*, a multis annis per partes in lucem prodire cœperunt & adhuc dum quotannis omnibus sanioribus applaudentibus continuari solent. Ex insigni isthoc rerum Theologicarum apparatu cum *tertia* forte *collectio* mihi obveniret, quæ *anno superiori* emissa fuit, inter alia illud imprimis non sine admiratione quadam cognovi, quod *pag. 520. sqq.* de sutore quodam Fanatico, cui nomen *Naucleto* est, ibidem refertur, qui nimirum per omnem Galliam ante annum circiter magnos concitasse

tasse tumultus scribitur. Quam insolitam fatui hujus hominis temeritatem sicut satis mirari non poteram; ita peropportune mihi in mentem veniebat, quod varia & copiosa ejusmodi matæologorum sutorum exempla hinc inde mihi legenti frequenter obvenerint, qui, qua fuerunt audacia, pari modo per totum fere orbem semina pestilentissimorum suorum errorum, quos ex orco quodam quasi postliminio revocaverant, non erubuerunt spargere. Hinc existimavi, me non inutiliter operam locaturum fore, si horis subsecivis, quas studiis suffurari liceret, ea omnia quasi παρέργως colligerem, & in justam dissertationis formam ita redigerem, ut deinceps publico eruditorum examini decenter submitti possit. Post probe subductos calculos nolui opellæ destinatæ moram diutius injicere, sed Deo auspice huic commentationi ita vacavi, ut, cum eam, quâ nunc prodit, induisset faciem, amplius non dubitarem eandem in conspectum publicum producere. Quod quidem ad ipsam elaborationem attinet, ego certe non sum tam suffenus, ut eam pro limatissima venditare ausim, sed ingenue potius fateor, eandem, si a Viris, qui exquisitioris doctrinæ copia sunt instructi, fuerit adornata, multo locupletiorem futuram fuisse. At vero cum pro tenui illa rerum omnium scientia, cujus mihi probe sum conscius, mihi jam non licuerit hoc argumentum scitius & deductius persequi, forte, si Deus dederit, tempus aliquando illucescet, quô totam dissertationem secundis curis perpolire iisque additamentis augere potero, ut eo emendatior postea exire & Lectori Benevolo se magis probare possit. Tuum interim erit, Lector Candide, hoc qualicunque labore, quem Tuo judicio plane permitto, ita uti, ut intelligam, institutum meum Tibi non prorsus ingratum fuisse, & sicubi pro humana imbecillitate erravero, pro Tua æquitate ut liberaliter mihi ignoscas, etiam atque etiam abs Te precor & contendo.



§. I.

Cum sint complures operæ, quas vocant, sellulariæ, quæ ab honestate unicuique probo homini se facile commendare possunt; in his omnino Sutorium quoque Opificium præ reliquis omnibus suo jure numerari debere, tam manifestum est, ut existimem, neminem temere futurum fore, qui asserto huic refragari atque de ejus veritate addubitare conetur.

Possem, si temporis atque instituti ratio permitteret, hoc loco in campum late patentem excurrere, & complura magno numero afferre, quæ omnino ad commendationem tribus sutoriæ & illius, quo fungitur, opificii quam plurimum conferre posse videbantur. Cum vero vir πολυμαθέστατος, BENED. BALDUINUS in suo, quem *de Calceo antiquo & mystico* scite & erudite conscripsit, libello, laudandæ Calceariorum sodalitatis partes in se jam diu susceperit, ibique cum insigni quodam doctrinæ apparatu ea omnia studiose congesserit, quæ ordini sutorum magnæ laudi & gloriæ esse possunt; nihil attinet, ne cui aut actum agere, aut scrinia Balduini videar compilasse, probitatem honestatemque hujus opificii multis verbis jam prædicare, quam ipse tot paginis fusius vel orbi testatissimam dedit. Interim, si post messem illam, quam BALDUINUS in suo jam confecit opere, spicilegio cuidam locus est, ego existimo, quod inter alia ex historia quoque Patrum quodammodo possit evinci, quod sutores probo & Deo placente officio fungi omnino censendi sint. Nec enim dememini, me in vita *Antonii*, quam GOTTFRIED. ARNOLDUS *in Leben der Alt-Väter* exhibet, relatum legisse, quod pio huic Eremicolæ, cum ad statum perfectionis, qualem humanæ naturæ in præsenti Seculo fragilitas non capit, aspiraret, per somnium aliquando divinitus mandatum fuerit, ut

Alexan-

Alexandriam ad sutorem quendam se conferret, ab eo edocendus, quibus ἀσκήσεσι perfectio hujus vitæ sit comparanda. Hic ut divino nutui obsequeretur postridie illico in urbem festinavit, & cum ad sutorem accederet illius exercitia & dona exploraturus, nihil audiebat, nisi mane eum pro civitate paucis verbis orare, & deinde arti suæ operam dare, ut exinde adeo intelligeret, non esse perfectionem & sanctitatem quandam illi vitæ generi tribuendam, quod in solitudine & desertis locis hucusque sectatus fuerat. Conf. de hoc Antonii exemplo *Apolog.* A.C. p.285. ubi illud ad destruendam Pontificiorum sententiam, qua vitæ monasticæ peculiarem quandam sanctitatem falso adscribunt, allegatur; nec non B. LUTHERUS *Tom.* IX. *Altenb.* f.575. Nemini præterea, qui prisca Historicorum monumenta vel fugitivis saltem inspexit oculis, ignotum esse potest, quod olim apud plerasque gentes & præcipue apud Romanos ea sutorii opificii existimatio semper fuerit, ut nullibi legatur, ejus honestatem unquam dubiam redditam fuisse. Sic enim refert JOH. ROSINUS in *Antiquitatum Roman.* L.1. c.8. quod apud priscam Quiritum gentem opera sutorum non tam servilis fuerit habita, ut potius integrum quoddam Calceariorum collegium Romæ olim toleratum fuerit, quod ex hac sorte causa factum est, quia illi etiam conficiendis calceis sacris, quorum usus solis Sacerdotibus rem divinam facturis destinatus erat, suam commodabant operam, uti ex SERVIO *ad Æneid.* L 4. v.516. patet. Hinc quamvis Pelliones vel Coriarii ex urbe quondam excluderentur, uti ex Artemidoro discimus, tamen Sutoribus seu Calceariis in ipsa habitationem fuisse concessam, testatur PLINIUS *Hist. Nat.* L.10. c.43., ubi inter alia hæc memorat: quod, cum imperante Tiberio aliquando contigerit, ut corvus quidam e summa Castorum æde, quæ teste Onuphrio, in octava urbis regione sita erat, in sutoris cujusdam officinam e regione positam pernice volatu se demitteret, hic statim ab altero calceario, qui proximam incolebat domum, cum pro lævi ominis ave haberetur, fuerit enecatus. Conf. HOFMANNI *Lex. Univ.* sub Them. *Sutor*, f.953. Hodiernos Pontificiæ religionis asseclas satis sobriam de honestate & probitate opificii Sutorii opinionem fovere, vel ex eo satis manifestum est, cum constet, quod ab illis peculiaris quidam tribus sutoriæ Patronus, cui nomen *Crispini* est, jam olim fuerit constitutus. Nam licet alias quidem abunde evictum sit, quod apud Pontificios vana & frivola hæcce consuetudo jam diu inoleverit, ut, per præposteram quandam κακοζηλίαν fœdissimos paganorum mores in rebus præsertim, quæ sacra spectant, æmulari soleant, & cum illis non solum integris terræ regionibus, earumque incolis, sed vel levissimo quoque cespiti suum quasi

Deum tutelarem & Patronum assignent; tamen, si ipsis non omnis plene periit ratio, vix adducor, ut credam, tam stolide ipsos acturos fuisse, ut operam quoque sutoriam dignam judicarent, quæ patrocinio Sanctissimi cujusdam viri, qualis Crispinus ab ipsis esse creditur, commendaretur, si de probitate & honestate ipsius minus convicti essent. Apud nos, qui Lutheranorum partes sequimur, eandem extra dubitationem quam maxime positam esse, vel inde apparet, quod hodie calceorum artificibus ejusmodi sæpe munera deferantur, quæ alias nonnisi Viris, honestatis laude conspicuis demandari solent. Sic v. g. in ducendis funeribus, apparandis nuptiarum solennitatibus, curandisque aliis officiis, quæ in Sacris sæpe ædibus obeunda sunt, ipsorum opera frequenter utimur, quod tamen non video, qua ratione fieri possit, si ejusmodi illiberalem & sordidam artem exercerent, quæ cum honestate pugnare aut cum quadam infamia conjuncta esse censeri possit. Quæ cum ita sint, valde dubito, an factum illud jure approbari & prudentiorum hominum calculo muniri possit, quod B. VALENTINO HERBERGERO quondam obtigit & in ejus vita, quæ extat in *Biogr. Vir. Erud. Menck.* p. 960. commemoratur. Ibidem enim legitur ejus vitricus, qui tabernæ Sutrinæ alumnus erat, Herbergerum nostrum, cum ex ephebis excessisset, multis verborum lenociniis eo allexisse, ut addiscendo suo opificio se manciparet. Quod cum Ecclesiasti cuidam Frauenstadiensi, Martino Arnoldo, qui ipsum in fonte lustrali Christo initiandum obtulerat, nuntiaretur, suasor illi auctorque statim extitit, ne voluntati sui vitrici hac in re obsequeretur, hoc inter alia usus alloquio: *Beatum ejus parentem, qui inter cœlestes jam ageret animas, mirum in modum aliquando perturbatum iri, si filium suum post hanc vitam in numero magnorum Ecclesiæ doctorum, qui præ reliquis cœlitibus insigni quodam splendore futuri sint conspicui, frustra quæsiturus & forsitan pice Sutoria squalentem sit conspecturus.* Hujus facti ipse B. HERBERGERUS meminit in *Tom. VI. Orat. Funebr.*

§. II.

Nec minus arbitror satis clarum imo confessum esse, quod in vita communi tanta si ullius, certe hujus opificii sit necessitas, ut ultro fatear, me nullo modo perspicere posse, qua ratione ulla bene constituta Respublica ejusmodi hominibus, qui cujuscunque generis calceamenta in usum communem conficere didicerunt, carere queat.

Præclare omnino & graviter summus ille omnium fere Lyricorum Princeps HORATIUS judicat, quando *Epist.* L. I. *Sat.* 13. p. 5. & 6. Iccium, qui memoratam Epistolam inscripsit, ita alloquitur: *Si*

Si ventri bene, si lateri est Pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.

Quibus enim verbis cum inter alia illud quoque innuat, sanitatem pedum a quovis homine tanti merito æstimandam esse, ut cum quantiscunque divitiis non mereatur conferri; per se facile liquet, singulis hominibus nihil prius & antiquius esse debere, quam ut eo diligentius pedum suorum rationem habeant, quo excellentior & inevitabilior ipsorum, experientia teste, usus est. Nam, cum constet, illos innumeris sæpe viarum difficultatibus & periculis, præsertim, si hispidæ & exasperatæ sint, facile exponi posse, periculum omnino est, ne alio atque alio modo, nisi probe muniantur, ipsis damnum inferri possit. Verum enim vero, quo luculentius patet, quod pedibus ab omnibus hisce injuriis non circumspectius quam per usum calceorum cavere queamus, eo impensius multarum, quas prisca quondam ætas tulit, gentium fatuas consvetudines toties miratus sum, quoties ex veterum scriptis cognovi, iis antiquissimis retro seculis illis in more positum fuisse, ut maluerint nudis incedere pedibus, quam calceorum tegumentis crura sua velare & redimire. Sic e. g. notum est, quod Romæ sub prima statim ineuntis ipsorum reipublicæ initia non vilissima solum mancipiorum & servorum plebs nudis incesserit pedibus, verum etiam ipsi proceres, qui Magistratu fungebantur & Senatorum personas sustinebant, discalceati inambulare consveverint. Neque hic mos postea, cum respublica ad florentissimum rerum statum & summum quasi fastigium ascendisset, in desvetudinem prorsus abiit, ut potius IVLIVS NIGRONIVS de *Caliga Veterum* c. 2. p. 34. sqq. testetur, Romanos stante & florente Republica nudis incessisse cruribus, quæ non nisi fluente & demissa toga tecta fuerint. Idem etiam a Græcis quondam factitatum esse, eodem loco p. 37. commemoratur, & apud Lacedæmonios omnes juvenes calceis caruisse, refert PLVTARCHVS in *Lycurgo*. Nec minus de *Phocione* apud eundem PLVTARCHVM, de *Germanico* apud CORNELIVM TACITVM, nec non de *Socrate* & *Catone* Uticensi legimus, quod, quoties in forum prodierint, semper apparuerint discalceati. Et *Damascius* apud PHOTIVM *Cod.* 242. tradit, quod vetus ille Philosophus *Sallustius* totum fere terrarum orbem, qua Sol habitabiles illustrat oras, nudis peragraverit pedibus. Constat etiam inter omnes, qui antiquitatum Romanarum non plane expertes sunt, quod olim apud Græcos & Romanos anniversaria quædam Solennitas, quæ nudipedaliorum nomine insigniebatur, fuerit celebrata, in quibus omnes nudipedes conspiciebantur, vagisque hinc inde circumferebantur erroribus. Nec defuere olim, qui hunc morem mirifice prædicarent,

uti

uti ex CLEMENTE ALEXAND. L. 2. *Pædag.* c. 11. apparet, qui loco citato disertis verbis testatur, incessum, qui nudis peragebatur pedibus, a viris prudentioribus in summo honore fuisse habitum, quibus ipse suffragatur, quando, *Viro*, inquit, *pulchro convenit nullos habere calceos, præterquam si „militet. Calceatum enim esse non parvam habet affinitatem cum eo, quod „est esse ligatum. Optimum exercitationis genus est, nudis uti pedibus & „ad sanitatem & ad expeditam facilitatem, ubi necessitas non prohibet.* In eadem cum *Clemente* sententia versatur *Musonius* apud STOBAEVM, cum *nudis*, ait, *pedibus incedere melius est quam calceatum: propemodum enim dixerim, calceatum esse perinde ac vinctum & constrictum esse. Sine calceis autem valde expediti & agiles sunt pedes, præsertim, si adsit usus*, prout hæc omnia a BALDVINO in supra *cit. tract.* de calceo antiquo & mystico allegantur p. 233. Si qua vero inter gentes consvetudo unquam usu recepta & solennis fuit, quæ risu maxime digna censeri mereatur, ea certe perquam insulsa mihi semper visa est, quæ olim apud gentem Ætolorum obtinuisse dicitur. Hi enim cum in bellum proficiscerentur, uno saltem pede calceati (unde etiam μονοκρήπιδες l. πεζέτεροι dicti sunt) feruntur incessisse, eoque quidem sinistro, secundum EVRIPIDEM in *Meleagro*, cui etiam MARO adstipulatus est *Æneid.* L. 7., ubi de *Hernicis Anagninis*, *Pelasgorum* progenie, scribit:

- - - *vestigia nuda sinistri*
Instituere pedis, crudus tegit altera pero.

At dextro secundum ARISTOTELEM, L. 2. *de Poët.*, ubi *Euripidem* taxat & erroris cujusdam ex hoc præsertim fundamento arguit, cum existimat, dextrum potius pedem nudum esse debere, ut in motu eo sit agilior, sinistrum autem tectum, ut huic tanquam centro suo ille niti possit. Conf. de hac re MACROB. l. 5. c. 18. Quemadmodum autem jam supra a me paucis ostensum fuit, has vetustissimorum populorum consvetudines ita omnino comparatas esse, ut nemini non risum merito moveant; ita non præter rem erit eas incommoditates jam paulo uberius enarrare, quibus incessus nudipedum plerumque obnoxius est, ut inde necessitas & præstantissimus calceamentorum usus eo evidentius appareat. Penes Te ipsum mi lector, esto judicium, quot & quantæ difficultates homini per totam vitam sæpe sint subeundæ, cum vel aspera montium abruptorum præcipitia, vel lubricas locorum impeditorum & spinis vepribusque obsitorum salebras pedibus emetiri debet, ut ipsi verendum sit, ne plantæ, nisi antea obducto quasi callo quodam probe eduratæ fuerint, tot offendiculis usque adeo facile lædi & sauciari possint, ut eo ipso pernicitati cursus magna re-

mora

mora injiciatur. Cum præterea multi terrarum tractus, qui Septentrionem præsertim respiciunt, ingenti frigoris intensissimi immanitate rigeant, in aliis e contrario, qui versus meridiem spectant & violento Sole calent, insignis torrentis Sirii fervor exæstuet, facile fieri potest, ut pedes, qui frigoris pariter atque ardoris quam maxime impatientes sunt, aut nimio gelu adstringantur, aut æstu solari ita adurantur; ut in cursu impediti gressum permulta itinera proferre non valeant. Nullum itaque dubium est, quin populus Romanus, cum priscam barbariem sensim paulatimque exuisset & per culturam ingeniorum paulo politioribus moribus adsvefactus esset, has molestias, quæ nudipedum ambulationibus sunt propriæ, probe perspexerit, cum constet, necessitatem utilitatemque calceorum in posterioribus temporibus ab illis omnino agnitam fuisse. Nam testatur BALDVINVS c. 6. p. 60. sqq., quod eorum artificibus Romæ intra mœnia ita habitare permissum fuerit, ut in propria urbis regione, seu vico, qui Sandaliarius dictus fuerit, una & conjunctim cohabitarint, cum contra Coriarii ex illa prorsus eliminarentur, uti in præcedenti §. ex *Plinio* jam confirmavimus. Et si hoc loco ipsius quoque Scripturæ Sacræ auctoritate standum est, ad varia ejusdem loca provocare possum, quæ v. g. *Cant.* 7. v. 1. *Eph.* 6. v. 15. *Act.* 12. v. 8. & *Exod.* 12. v. 11. occurrunt, & documento sunt, tot tantaque pedum pericula, quæ modo recensuimus, nullo alio modo certius evitari & incessum promptiorem agilioremque reddi posse, quam per ipsa calceamentorum indumenta. Inprimis quod ad locum posteriorem attinet, in hunc digitum omnino intendit THOM. GOODWIN, quando in *Mose & Aarone* p. 503. hæc verba leguntur: *Israelitæ in comestione Paschatis mandato divino tenebantur ad majorem promptitudinem calceis esse ligati*, & Cl. WITSIVS, uti eodem loco p. 504. num. (21.) infra annotatur, *Oecon. fœd.* l. 4. c. 9. §. 25. putat, hanc ὑπόδησιν l. calceationem, quæ Israelitis divinitus injuncta fuerit, nihil aliud quam hoc typice innuisse, ut illi, qui Christo nomen dederunt, semper induti esse debeant, ἑτοιμασίᾳ l. *promptitudine* ad intrepidam migrationem ex Ægypto mystica & fortem perambulationem deserti ad cœlestem patriam Eph. 6. v. 15. Postremo loco necessitatem sutorii opificii ex ipsis quoque Antiquitatibus Judaicis demonstrari posse existimaverim, cum constet, in V. T. omnibus Judæis speciali quodam Dei mandato fuisse prohibitum, quo minus eo tempore, quo præparatio Sabbathi initium suum caperet, operis manuariis, quibus per dies profestos fungebantur, amplius vacarent, exceptis solis *Sutoribus*, Sartoribus & Legum peritis, uti observat CASAVB. *Exerc.* 16. p. 474. ex *Michlol.* R. DAVID. KIMCHI. Conf. & THOM. GOODWIN in

M. & A. p. 515. Quando itaque ex his omnibus, quæ jamjam copiose dicta sunt, satis evidenter apparet, magnam omnino artis sutoriæ necessitatem esse, non male Cl. IOH. G. KEYSLERVS *in Antiquitatibus Celticis* judicat, cum p. 186, postquam de calceis veterum Germanorum copiose egit hujusque indumenti necessitatem ostendit, hæc verba subjungit: *Nemo vitio inde vertet Luthero, quod in Explicatione Articuli quarti Orationis Dominicæ inter peculiaria Dei dona specialiter addat* calceos. Eos autem sutores, qui vilissimos rusticorum perones compingunt, in Republica non minus tolerari debere, quam illos, qui eleganter conficiunt calceos, cum utrique utilem & necessariam illi operam navent, testatur BALDVINVS, quando in *Præf.* quam L. *de calceo ant. & myst.* præfixit, p. 2. ita loquitur: *Quis in ipso calceorum opificio sutores illos jure censeat explodendos, qui crassos rusticorum perones consarcinant; eosque tantum retinendos, qui in consuendis elegantioribus nobilium soccis honestius operam suam ponunt?*

§. III.

Cum proinde necessitas artis σκυτοτεμικῆς extra omnem dubitationis aleam quam maxime sit posita, per se manifestum est, quod ille cum veritate non adeo pugnare videatur, qui velit contendere, eandem, si vetustatis habeatur ratio, reliquis omnibus, quocunque demum nomine veniant, sedentariis operis usque adeo non inferiorem esse, ut illius potius origo ab ipsis prope hujus universi incunabulis sit repetenda.

BALDVINVS c. 2. p. 6. *Scio,* inquit, *nonnullos ex Plinio* L. 7. c. 56. *primum consuendorum calceorum artificium cuidam Boëthio tribuere. Sed quandonam ille vixerit, aut ubi, non docent.* Hinc cum fere addubitet, an Plinii aliorumque testimoniis satis tuto niti possit, originem calceorum ad ipsa mundi primordia primumque generis humani parentem referendam esse existimat. Nec enim improbabile esse ratus est, quod protoplasti, cum ex horto Paradisiaco divinitus exulare juberentur, calceis statim opus habuerint, ut iis sese suosque pedes a spinarum tribulorumque injuriis, quorum tellus per divinam maledictionem jam feracissima tunc erat, defenderent. Quin eo usque procedit, ut Deum ipsum pro primo & proprio calceorum auctore agnoscat, cui quidem sententiæ ὁμόψηφος quoque est GERH. IOH. VOSSIVS *de Idololatria* L. 3. c. 70. Si qui tamen sint, qui forte negent, huic sententiæ, qua nonnulli ex Viris eruditis calceorum originem ab ipso statim orbe condito arcessunt, eam fidem constare, ut pro indubitata & invicta haberi possit, præsertim, cum nullibi quædam vestigia

ſligia deprehendantur, ex quibus ea, quam Balduinus aſtruxit, calceorum antiquitas queat demonſtrari; de hoc tamen maxime certus ſum, quod ars ſutoria inter illas, quæ reſpectu originis eam ætatem ferunt, ut pro antiquiſſimis haberi mereantur, principem facile locum occupet. Conſtat enim ex ipſo S. Codice, quod v. g. *Moſes* ex *Ex.* 3. v. 5. *Joſua* ex c. 5. v. 15. *Iſraelitæ* ex *Ex.* 12. v. 1. coll. cum *Deut.* 29. v. 5. & denique etiam *Gibeonitæ* ex *Joſ.* c. 9. v. 5., quorum omnium vita & natales in vetuſtiſſima inciderunt tempora, jam calceati inceſſiſſe memorentur. Si præterea alios ex priſcis Scriptoribus, inter quos celeberrimus ille Philoſophus Plato omnino numerandus eſt, conſulamus, deprehendimus, quod hic in *Politicis* τῆς σκυτοτομικῆς vel *artis conſuendi coria* i. e. *Sutorum* mentionem jam injiciat & τὴν τρήσει καὶ ῥαφῇ χρωμένην σύνθεσιν h. e. confectionem illam alleget, quæ fit perforatione & ſutela. Conf. HOFEMANN. *Lexic. Univ.* p. 952.

§. IV.

Quemadmodum autem quotidiana experientia ſatis ſuperque teſtatur, nihil ex rebus omnibus, quæ in mundo dantur, exiſtere, quod a primo ſtatim inventionis ſuæ tempore ad illud perfectionis faſtigium adſcenderit, ut ultra non potuerit aſſurgere; ita etiam in aprico poſitum eſt, artem ſutoriam non ſtatim a ſua inde origine tam emendatam omnibusque numeris abſolutam fuiſſe, quin ſucceſſu temporis, quo magis ſe. fuerit frequentata, eo ſcitius perpoliri, eoque concinnior ſenſim paulatimque reddi potuerit.

In eadem mecum ſententia verſatur BALDVINVS, quando in Tractatu *de calceo antiquo & myſtico*, p. 15. ita loquitur: *In dies creſcunt artes atque perficiuntur, hinc & ſucceſſu temporis elegantiæ ſtudium artificium concinniores calceos compingendi homines docuit.* Nec quenquam futurum fore reor, qui de veritate hujus effati dubitet, quandoquidem ipſa αὐτοψία teſtatur, ſi v. g. imagines & picturas veterum contueamur, quod majores noſtri tam deformibus calceis ſeculo adhuc decimo ſexto uſi fuerint, qui illis, quales hodie perquam affabre conficiuntur, quam longiſſime poſtponendi ſunt. Tot autem & tam diverſa calceamentorum genera apud priſcas gentes olim uſitata fuiſſe conſtat, ut hiſtoricorum monumenta paſſim referant, tam variam conſuendis calceis materiam ſæpiſſime deſtinatam fuiſſe, ut modo ex ligno, modo ex ære, ſtanno auroque, modo etiam ex corio præſertim in ſuperioribus retro ſeculis confecti fuiſſe legantur. De calceis ligneis BALDVINVS c. 5. p. 34. copioſe differit, quibus

Indos olim usos esse e Philostrato probat, a quibus eorundem usus etiam ad alias gentes traductus sit. Imprimis illud notatu dignum est, quod ibidem memorat, soleas nempe ligneas olim damnatis ad culeum plerumque indutas esse. Conf. HOFFMANNI *Lex. Univ.* p. 322. Calceis aeneis *Empedoclem Agrigentinum* aliquando usum fuisse, DIOGENES LAERTIUS L. 8. *in ejus vita* Segm. 69. commemorat. Scribitur enim hoc loco Empedocles, cum famam & honorem Deitatis affectasset, ea potissimum mente aliquando Ætnam petiisse, ut ibi in ignis crateras se conjiceret vanâ fretus spe, se illæsum & indemnem inde reversurum fore, quia æneis utebatur crepidis. At enim vero infelicissimus eventus ejus expectationem ita fefellit, ut ipse prorsus absumeretur ignibus, & una saltim ex ejus crepidis in voraginis crepidinem ejiceretur, unde dolus postea patuit, id quod etiam confirmatur ab ÆLIANO L. 12. *Var. hist.* 32. ÆGID. MENAGIUS in *Notis* ad hunc Laërtii locum etiam *Strabonem* & *Svidam* in Ἀμύκλας allegat, nec minus ex 1. *Reg.* 17. v. 6. usum æneorum calceamentorum probat, ubi de Goliatho dicitur, quod ocreis æneis calceatus incesserit. De calceis stanneis legimus apud HOMERVM *Iliados* Σ. v. 612. quod Vulcanus Heroi illi magnanimo Achilli stanneas ocreas olim fabricaverit, unde Agenoris telum postea resiliit *Iliad.* φ. v. 593. & PLVTARCHVS in vita Demetrii, qui filius Antigoni fuit, de ipso refert, quod aureos calceos gestaverit. De reliquis calceorum & imprimis coriaceorum generibus, si lubet, conferri potest sæpe citatus BALDVINVS, nec non passim HOFFMANNVS in *Lex. Univ.*, qui posterior refert, quod Romæ etiam rusticorum & plebejorum calcei, qui perones dicebantur & per lutum nivesque usurpabantur, jam olim e crudo corio confecti fuerint, licet eorundem usus tunc non adeo vulgaris esset, uti nostra & patrum ætate factus est post commercia illa Russica, quorum beneficio coria ad nos copiosius allata fuere. De cætero quod ad pretium & elegantiam calceorum attinet, negari non potest, quod etiam apud Romanos satis venusti & pretiosi calcei gestati fuerint, tum ab Imperatoribus, tum etiam ab aliis, qui inter proceres & Senatorii ordinis censum referebantur. Inprimis in iis calceis, qui mullei vocabantur, conspicua olim sutorum fuit opera, quippe qui præ reliquis multis elegantibus diversicoloribusque suturis insignes erant, iisque fila serica adhibebantur, ut a viliorum peronibus, qui rudiore & crassiore consarcinabantur filo, distinguerentur. Posteriorum meminit JUVENALIS, quando *Sat.* 3. v. 149. ita loquitur:

- - *Si rupta calceus alter*

pelle

pelle patet, vel si consuto vulnere crassum
Atque recens linum ostendit non una cicatrix.

Nec mulleis calceis, si pretium & pulchritudinem spectes, inferiores erant illi, qui *Sicyonii* appellabantur & nobile quoddam venustumque muliebrium calceamentorum genus erant, cujusmodi fiebant *Sicyone*, urbe *Achajæ*, & quorum mentio fit apud *Lucanum*:

Unguentum & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Ex sutrinis præsertim Venetæ quam maxime celebres olim fuerunt, prout ex TERTULLIANO de *Pallio* patet c. 5., ubi, *magnum*, inquit, *incessui munimentum sutrinæ Venetiæ prospexere*; uti veram lectionem restituit *Salmasius*, cum alias sutrinæ Veneriæ legerentur. Constat nimirum, quod in Venetia aut Veneta regione pelles olim optime curari consveverint, suendis calceamentis aptæ, cum magna ibidem pecudum copia extaret, uti ex frequenti Altinarum & Eugenearum ovium mentione apud Auctores clarum est. Hinc veritati non absimile est, quod ibidem etiam calcei seu perones optimi concinnati fuerint. Hac insimul occasione non præter rem erit nonnihil cum Lectore Benevolo communicare, quod in Cl. JOH. GEORGII KEYSLERI *Antiquitatibus Celticis* Sect. 2. c. 2. non ita pridem magna cum voluptate mihi lectum fuit. Ille *loco citato* multus est in caussis enumerandis, quæ sc. majores nostros impulerint, ut simul cum defunctorum cadaveribus bellicam æque ac domesticam supellectilem, equos, nummos pluraque alia conderent, ipsorumque sepulchris una mandarent. Paragrapho 18. p. 168. sqq. tradit, quod equi ex hac præcipue caussa cum defunctorum cadaveribus fuerint contumulati, quia antiqui Celtæ crediderint, equorum usum etiam in *Valhalla* (i. e. loco beatorum) dari, ut videlicet, si equis vehantur, eo citius iter ad *Valhallam* conficiant. In sequenti §. p. 169. autem scribit, quod illi, qui equis destituebantur, iter ad *Valhallam* pedibus debuerint emetiri, eumque in finem, ut eo firmiori gressu ad hæc gaudia possent properare, calceos, quos lethales ideo vocabant, mortuorum pedibus firmissime alligatos fuisse. Quæ omnia cum Cl. *Keyslerus* idoneis comprobavit testimoniis, mox hæc addit: *Cave vero existimes, calceos ex corio factos in hunc usum semper fuisse adhibitos. Soleæ ligneæ erant Deorum etiam* Mythol. 21. 22. *quæ corrigiis alligabantur*, teste *Saxone* L. 6. *& solus Deus Vidarus calceis ex corio factis superbiebat*, Myth. 48. Pergit deinde p. 171: Nempe subsecutis etiam seculis calcei ex corio facti non uniuscujusque usus poterant esse, & plebi sufficiebant crepidæ ligneæ, Belgis etiamnum familiares & *Holenblocken* dictæ, Germanis *Puntschuch*, velut gebunden Schuch. A qua voce, miseriæ suæ teste, rusticis

in Spirensi Episcopatu anno 1502. tumultum excitantes globum suum nominabant *den Bundschuh*. Fuit etiam tempus, cum *Langedica*, haud ignobilis pagus Hollandiæ Septentrionalis quatuor aut sex solummodo calceos contineret, quibus induebantur Scabini Hagam vel in aulam vocati. De kleyne Cronyck van Graeffen Ryp, beschreven door J. A. Leegwater: Ick heb certyts groote conversatie geliadt met en seker man, genaemt Reyer Dircksen, die uyt het neerdeland van Nieuwe Nierop van geboorte was, welcke my verhaelde van de groote eenvoudigheyt van't volck in Noord Holland, hoe dat aldaer onder andere in oude tyden in het geheele dorp van Langedyk nil meer als twee of drie par Schoenen waeren, welcke gespaert wurden voor de Schepenen en Regenten van't Dorp, wan neer datse maeden Hage souden trecken, die deselve dan aendeden; gaende het volck doorgaent met klompenem Hoolblocken, ende het vrouw-volck gemenlyck met strompelingen om de Kuyten van de beennen, ende met besuynen aen haer voeten, gelyck ick in myn jouckheyt oock gesien heb.

§. V.

Ut vero ad institutum nostrum jam propius accedamus, negari plane non potest, inter alias quoque quorumcunque fere opificum tribus copiosam ejusmodi febriculosorum hominum segetem nonnunquam extitisse, qui nescio quô fanatico agitati spiritu tot tantisque intemperiis in transversum sæpissime fuerunt abrepti, ut iis, quibus erectior mens est, ut secum habitare norint, ludibrium merito debere sint existimandi.

Longum quidem est operosa omnium illorum recensione jam defungi, qui ex cujuscunque ordinis tribubus post ejuratam puriorem & cœlestem doctrinam ad fanaticorum castra ita secesserunt, ut fœdissimis opinionum portentis dementati non modo magnam incautorum hominum vim in suas partes frequentissime traxerint, sed aliis quoque Viris doctissimis, quibus sanius erat sinciput, ingentem rixarum, quas lævo passim severunt omine, materiam suppeditarint. Ne tamen in producendis aliis atque aliis maleferiatorum ejusmodi hominum exemplis hoc loco prorsus ἀσύμβολος evadam, paucissimis saltem eorum nomina & vitas recensere jam lubet, qui inter Fanaticos instar antesignanorum locum quasi primipilarem occupant. Quotusquisque vero est, quem fugiat nomen *Esaiæ* illius *Stiefelii*, qui circa finem seculi decimi sexti & initium decimi septimi vixit, cujusque vita & errores hinc inde recensentur. Hic, Longosalissæ, quod in Thuringia non ignobile oppidum est, diu artem cauponariam

riam exercuisset, sibique per plures annos inde victum lucratus esset, tandem in fanaticum degener factus est & novellorum, quos vocant, Prophetarum se associavit coetui. De divina enim essentia, de Scriptura S., de Christo, aliisque dogmatibus Theologicis virulentissimos errores animo conceperat, quos palam profiteri non verebatur, imo eo vesaniæ processisse dicitur, ut se pro ipso venditaret Messia, his sæpe verbis usus: *Ego sum Christus, ego sum vivum Dei verbum.* Tam refractarius insuper suarumque opinionum tam tenax erat, ut, licet sæpius admoneretur, nunquam tamen rectius saperet, aut erroribus, quos retractare compluries spoponderat, repudium mitteret, donec tandem rebus humanis interesse insimulque delirare desiit anno 1608. Seculo decimo sexto ex schola Anabaptistarum novus quidam prodiit hæresiarcha, *David Georgius*, Batavus, qui alias etiam David Joris dictus & anno 1501. Delphis natus fuit. Hic, cum adolescens per aliquod tempus Encausticæ operam dederat, mox Anabaptistarum partes amplexus est, & cum Pontificiorum idololatriam in publicis ipsorum, quas vocant, processionibus sæpe commissam aliquoties redargueret, in carcerem illico conjectus, virgis cæsus & lingua ipsi perforata est. Quod ad ejus errores attinet, illi ita omnino comparati erant, ut doctrinam Mosis & Christi manifesto everterent, siquidem angelorum existentiam prorsus negabat, polygamiam omniumque bonorum communionem pertinaciter defendebat, cultum Dei publicum, prædicationem verbi divini & Sacramentorum usum superciliose aspernabatur, seque ipsum denique verum esse Messiam jactitabat non ex carne sed Spiritu S., & Spiritu Jesu Christi conceptum. Nec paucos in Belgio asseclas errorumque patronos nactus est, sed, ut periculis imminentibus se mature subduceret, mutato nomine in Joh. Bruckium Basileam migravit, ibique Calvinianorum religionem ore professus, per integros quindecim annos vixit ab omnibus pro viro nobili & honesto habitus. Interea tamen cum errores suos domi ac per literas in Hollandia clam propagaret, Anno 1556. extinctus prædixit, triennio elapso se ex inferis reversurum & quæ promisisset effecturum, sed cum eventus vaticiniis ipsius plane non responderet, detecta ipsius nefaria hæresi jussu Senatus effossus & una cum libris, quos conscripserat, combustus fuit. Conf. GEORG. HORNIUS in *Comp. Hist. Eccles.* p. 197. *seqq.* *Johannes Leidensis*, cujus vita in Seculum decimum quintum & sextum incidit, opificio Sartorio in pueritia se addixerat, sed cum ad maturiorem adolevisset ætatem, usque adeo Fanaticorum erroribus totum se immergebat, ut varios undiquaque tumultus excitare ordiretur. De seditioso isthoc Sartore autem cum JOH. SLEIDANUS in

commentariorum, quos *de statu religionis & Reipublicæ* conscripsit, *Libro* X. p. 260. *sqq.* fusius & ex instituto egerit, Lectorem ad hos fontes merito remittimus ejusque vitam & errores carptim & per summa saltim rerum capita delibamus. Anno 1535. una cum *Bernh Rotmanno & Bernh. Cnipperdolingio* in urbe *Monasteriensi* tantas ciebat turbas, ut, cum ingentem hominum fanaticorum coegisset copiam, omnia ferro & flamma crudeliter ageret, & quicunque ipsius Sectæ non erant, armata manu statim ex urbe propelleret, nulla nec ætatis habita ratione nec sexus. Postea cum perhiberet, Patris cœlestis mandatum & voluntatem esse, ut totius orbis obtineret imperium & cum validissimis copiis egressus Reges atque Principes omnes promiscue interficeret atque ex multitudine iis solum, qui justitiam amarent, parceret, eam sibi arrogavit potestatem, ut se Regem publice salutari juberet. Durante obsidione una cum cæteris, qui cum ipso amice conspirabant, sacerrimum quendam librum, cui titulus *Restitutionis* erat, conscripsit, in quo tantam pestilentissimorum errorum congeriem complexus est, ut eorum numerum vix inire possis. Inter alia Pædobaptismus tanquam impius & execrandus ibidem penitus damnabatur, ejusmodi Christi regnum, in quo soli pii deletis impiis sint regnaturi, ante extremum judicii diem in his terris instituendum fore fingebatur, populo potestas Magistratum abrogandi & Ministris Ecclesiæ jus gladii, quo per vim novam quandam Rempublicam constituere possent, vindicabatur, nemo, qui non revera sit Christianus, in Ecclesia tolerandus esse affirmabatur, polygamia & bonorum communio propugnabatur, Christus ex Maria natus esse negabatur, &, quæ id genus sunt plura alia. Tandem, cum satis diu impune tumultuatus esset, anno 1536. suæ impietatis & stultitiæ justissimas pœnas luit, cum captus & in locum quendam editiorem productus palo alligaretur, ibique, postquam horam & amplius per carnificem ignitis forcipibus miserrime excruciatus fuerat, transfacto demum per pectus mucrone infelicissimam exhalaret animam, quo facto, caveæ ferreæ immissus ad summam urbis turrem pensilis expositus fuit. Si Crœsium ejusque historiam Quakerorum evolvamus, in producendis multorum Fanaticorum exemplis haud parcus esse deprehenditur, qui varia vitæ genera fuerunt sectati. Sic v. g. p. 56. GUILIELMUS DEWSBURÆUS, lanarius in oppido Wakefild, qui a Foxi stetit partibus; p. 56. & 159. JACOB NAYLOR, qui ex rustico miles, ex milite evasit fanaticus; pag. 79. & 485. GUILIELMUS AMESIUS, qui diu in castris stipendia meruit; p 81. & 485. STEPHANUS CRISPUS, qui operæ textoriæ fuit addictus, & denique p. 94. ALEXANDER PARKERUS, lanio adducuntur. In dissertatione B. Wernsdorffii, quam

de

de *Fanaticis Silesiacis* quondam habuit, multorum quoque ex variis ordinibus Fanaticorum fit mentio, & v.g. §.15. GABRIELIS SCHERDINGII, Pellionis, qui anno 1540. Silesiam vehementer infestavit, it. §.19. CHRISTOPHORI KOTTERI, civis Sprottaviensis, qui cum diu cerdonis opificium exercuerat, tandem ab anno 1616. usque ad annum 1624. novum Prophetam egit, sed vanum & deceptorem, unde post varias, quibus affligebatur, contumelias ex oris Silesiacis plane exulare jussus fuit. Alias autem hujus Kotteri insignis Encomiastes & hyperaspistes fuit JOH. AMOS COMENIUS, qui ejus vaticinia sub titulo: *Lux in tenebris* anno 1664. juris publici fecit, ipse autem, cum a solo patrio extorris diu in Lusatia ab aliquot nobilioribus familiis sustentatus fuisset, tandem diem suum obiit anno 1647. De homine quodam Fanatico, JOH. FRIDERICO ROCKIO, qui Marienbornæ ephippiopoeum aulicum diu egit, prostat peculiaris quædam commentatio a *Georgio Michael Preu*, V.D.M. concinnata sub hoc titulo: *Der Geist der angegebenen wahren, aber falsch befundenen* inspiration *in* Joh. Fried. *Rocken, Marienbornischen Hoff-Sattlern nach dem Grunde der Wahrheit untersuchet von* Georg. Mich. *Preu* V.D.M. *in Oettingen*, cui adjectæ sunt *Joh. Locki Gedancken von der Enthusiasterey. Ulm.* 1720. *bey Dan. Bartholomäi.* De PAULO LAUTENSACK, Pictore & organoedo Norimbergensi it. de quodam ROSENBACHIO, qui artem conficiendorum calcarium edoctus in fanaticum postea evasit, conferri potest GOTTFR. ARNOLD. *in Hæres.*, ex qua, si lubet, etiam vitæ HARTWIG LOHMANNI, NIC. TETING, JULII SPERBERI & multorum aliorum cognosci possunt. Vid. de posterioribus MINISTERII quoque TRIPOLITANI *Ausführlicher Bericht von den neuen Propheten* & D. AUG. PFEIFFERI *Anti-Chiliasmus.* De MARTINO BORRHAO, qui alias quoque Cellarius dictus fuit & quondam Basileæ Professorem Theologiæ egit, constat, quod, antequam Theologiæ docendæ munus ipsi conferretur, sectæ Anabaptistarum vehementer patrocinatus & opificio vitriario, quo sibi victum quærebat, addictus fuerit. Conf. *gelehrten Lex.* p.333. Fuerunt etiam, ut hoc postremo loco addam, nonnulli ex veteribus Pontificiis, qui falso criminati sunt, *Philippum Melanchthonem* nescio quo fanatico abreptum impetu brevi ante suum obitum opificio Pistorio, quod per aliquot annos postea exercuerit, se tradidisse. Hanc deinceps crambem de novo quasi iterum recoxit Lojolita quidam Pragensis JOH. CRAUSIUS *in seinen Beytrag zum Lutherischen Jubilæo* p. 94. *Wunderb. Luth.* p. 108. Ante ipsum autem vanum & fictitium huncce rumorem jam diu olim disseminarunt LAUR. SURIUS, NICOL. SERARIUS, CASP. ULENBERG. JAC. GRETSE-

RUS, FRIED. STAPHYLUS, FLOR. RAYMUNDUS, LUDOV. CRESOLLIUS, LUDOV. MAIMBURG & plures alii. Nec vero defuere ex nostratibus quoque Theologis Viri cordatissimi, qui fœdissimum hocce mendacium, quo famæ B. *Melanchthonis* non levis macula aspergebatur, solida refutatione ita diluerunt, ut in fumum prorsus abierit. Nam, licet negari non possit, quod Melanchthon post fata Lutheri, si nonnulla dogmata respicias, sibi non usque adeo constiterit, ut cum vera & orthodoxa Ecclesia perpetuo consentiret, non facile tamen idoneis argumentis evinci potest, quod pristinum vitæ suæ genus unquam immutaverit, prout Pontificii fabulantur. Hinc nullum est dubium, quin ii, quibus hæc de *Philippi Melanchthonis* mutatione persuasio fuit, cum ipso alium quendam *Philippum* confuderint, qui olim a tumultuantis *Carolostadii* stetit partibus, eique, cum Scholam Wittebergensem in publicam quandam tabernam, quæ vendendis panibus destinata esset, converteret, usque adeo non reluctatus fuit, ut arti potius pistoriæ se tradiderit, cum contra *Carlstadius* rusticum vitæ genus sibi sectandum eligeret. B. D. NIC. SELNECCERUS de hoc ipso Philippo pistore suo jam tempore evicit, quod quondam Wittebergæ Rhetoricam publice professus fuerit *in vita Luther.* p. 116. Conf. B. MAYERI *Miscell.* de *Doct. Theol.* p. 17. & illustris SECKENDORFF. in *Luther.* L. I. p. 197. & 198. Nec minus clariss. FEUERLINUS de isto Philipporum, qui witebergæ una vixerunt pari, in peculiari quadam dissertatione ex instituto egit & pudendos quorundam Pontificiorum lapsus detexit, quibus v. g. CLAUDIUS CLEMENS Melanchthonem loco pistoris pro pastore & quod mireris, VARILLASIUS pro quodam zythopoeo venditarunt. E contraria parte Dn. *Feuerlinus* eodem loco ex quibusdam fidei probatissimæ MSC., *Philippum* quendam *Igni cuspidum* produxit, qui procul dubio Philippus ille pistor fuit. Conf. *Miscell. Lipsiensia* T. VII. p. 129. JAC. THOMASII Dissert. 58. p. 689. Et præprimis Magnifici Dn. D. CHRISTOPH. HEINR. ZEIBICHII *nöthige Gründe ietziger Zeit, zur Verantwortung wider das Pabstthum.* contra P. *Joh. Crausen.* p. 347. *sqq.*

§. VI.

Quod proinde cum paulo curatius mecum trutinarem, parum abfuit, quin in eam inducerer opinionem, quod divina πρόνοια, cum non ignoraret, plerisque hominum generibus infaustam fanaticismi labem in futuris post Christum natum seculis propriam & quasi hæreditariam fore, ex hac ipsa fortasse causa voluerit Patrem Servatoris nostri optimi Josephum ex ejusmodi hominum

censu

censu oriundum esse, qui, quantum ego quidem scio, ne unicum quidem fanatici cujusdam homuncionis fœtum tulisse unquam legitur.

Tantum autem abest, ut hanc conjecturam, cui hoc loco quadantenus indulsi, cuiquam Virorum eruditorum audacter velim obtrudere, ut potius suum cuilibet arbitrium lubenter relinquam, nec ægre patiar, si quis hac in re a sententia mea prorsus dissentiat. De cætero, si cui volupe est de Josepho isthoc Pandira ejusque vita plura cognoscere, is evolvat EISENMENGERI *Entdecktes Judenthum*, P. I. p. 105. *sqq.* & p. 262., ubi priore loco refertur, quod a Judæis robustus miles fuisse fingatur, & posteriore, quod etiam fabrum lignarium egisse ab eisdem perhibeatur. Conf. quoque BARONII *Annales Eccles.* A.C. XII. n. 6. *sqq.* Si instituti pateretur ratio, pari jure hoc loco quæstio quoque posset institui: Cur Christus plurimos discipulorum & Apostolorum ex ordine piscatorum elegerit & ad optaverit? Sed cum omnes ulteriores ambages recidendas esse probe intelligam, eandem ultro omitto & Lectorem remitto ad CAVEI *Historiam Apostolicam*, ubi hinc inde quæstionem isthanc breviter attingit.

§. VII.

Neque vero cuiquam ignotum esse potest, qui vel levi saltem & tralatitia rei Ecclesiasticæ cognitione tinctus est, quod inter omnes Sodalitates opificum nulla unquam tam ferax tamque fœcunda exitiosorum errorum mater fuisse legatur præter sutoriam, quippe quæ a bene multis annis tot cacodoxos turbones & *σπερμολόγυς*, quos Germanorum idiomate *Schwermeros*, latino autem *Fanaticos* commode dixeris, tam infelici exclusit partu, ut diffusi instar alvei omnem quasi, quanta quanta est, Europam ingenti passim inundaverint eluvione.

Etsi veritas hujus §. usque adeo sit in propatulo posita, ut is, qui eandem in dubium velit vocare, vel ipsi quasi soli caliginem offundere videatur; tamen, ut eo plus lucis illi affundatur, me non male acturum fore reor, si in sequentibus paragraphis alia atque alia fanaticorum ejusmodi sutorum exempla in medium prolaturus fuero. Quod tamen antequam a me fiat, licebit hoc loco aliquot Virorum eruditorum testimonia præmittere, quorum ea omnino est ratio, ut dictis meis fidem non exiguam conciliare possint. Provoco itaque primo ad testem quendam *αὐτόπτην*, Dn. sc. FRIDERICUM ERNESTUM MEISIUM, qui in *Præf.*, quam tractatui, cui titulus est: *Kurtzer Entwurff von Quäckern*, præfixit, p. 25. *sqq.* expressis

 verbis

verbis testatur, se, cum *Londini* aliquando fuerit commoratus, suis animadvertisse oculis, quod maxima ex Societate Quakerorum pars ejusmodi comprehenderit homines, qui opificio sutorio addicti fuerint. Nec minus verba illa, quæ *in unschuldigen Nachrichten* ad annum 1725. *in Zweyten Beytrag* p.200. leguntur, hoc loco luculenti instar testimonii commode esse possunt. „Ibidem sc. recensetur opusculum quoddam linguâ vernaculâ conscriptum, quod inscribitur *Theologia, oder geistliches Gespräch, sonderlich von der wahrhafftigen Dreyeinigkeit*. 1682. 4to. von 6. Alphab. 4. Bogen. Vocatur iste Dialogus a celeberrimis Dominis *Collectoribus* scriptum virulentissimum, ejusque Auctor Pseudonymus sub persona cujusdam sutoris (id quod *fatale signum in negotio religionis* esse, Domini Collectores in adjecta parenthesi recte judicant,) latere voluit. Fertur tamen hoc Schediasma famosissimum illum Socinianorum asseclam, *Joh. Preussen* pro genuino autore agnoscere, in cujus priore colloquio sutor cum sartore quodam religioni Lutheranorum addicto sermones conferre introducitur.

§. VIII.

Ex sutoribus itaque fanaticis dum in Scenam nonnullos jam produco, eorundem nomina, vitam atque errores publico omnium expositurus conspectui, ante omnia illud faciam, ut Lectori Benevolo constet, per fanaticum nos ejusmodi notare hominem, qui S. literis susque deque habitis suis indulget φαντάσμασι, & ut suis dictis factisque fidem & auctoritatem conciliet, immediatum Spiritus S. afflatum, cœlestesque revelationes, quibus se gaudere ait, prætendit.

Quod ad terminum fanatici (alii scribunt *phanatici* ἀπὸ τοῦ φανερῶ, *a manifestando*, h.e. *responsis*, quæ in fano dantur) attinet, constat ex lectione auctorum, quos vocant, Classicorum, hanc vocem in CICERONE, LIVIO, JUVENALI aliisque passim esse obviam. Nam priscis superstitiosæ paganorum gentis temporibus ii imprimis Fanaticorum denotabantur nomine, qui in ipsorum fanis & delubris sacris operabantur, ibidemque varias divinas & cœlestes revelationes per quendam ἐμφωτισμὸν l. immediatam inspirationem avide expectabant. Hi & præsertim Sacerdotes Deæ Cybeles in Sacrificiorum pellibus plerumque resupini jacebant, ut cum ipso quasi somno divinam captarent mentem, & sacro afflati numine variisque raptibus Ecstaticis correpti postea divinare solebant, unde etiam a Græcis, prout ex *Suida* patet, ἔνθεοι, ἐνθουσιάζοντες, ἐνθουσιώδεις &c. vocabantur. In subsequentibus deinde post Christum natum seculis hic ter-

minus ad denotandam insignem quandam Hæreticorum sectam traductus fuit, quos non sine ingenti Ecclesiæ scandalo magnas sæpe turbas dedisse constat. Ecquis enim est, qui nesciat, furiosos ejusmodi homines frequenter extitisse, qui Scriptura S. penitus & palam repudiata, contenderunt, omnem tum agendorum tum credendorum cognitionem non ex verbo Dei scripto, sed ex propria unicuique peculiariter facta revelatione, ex luce congenita, ex somniis, angelorum colloquiis, ex verbo interno, ex inspiratione (*einsprechen*) Patris cœlestis, ex informatione interna Christi essentialiter cum ipsis uniti & Spiritus S. intus loquentis & docentis hauriendam, imo ex his omnibus sublimiorem & abstrusiorem quandam sapientiam quam quæ in Scripturis contineatur, petendam esse. Conf. B. QUENSTED. in *Syst. Theol.* p. 48. & JOH. OLEARIUS in *introductione præliminari, quam Synopsi Controversiarum Fanaticarum* præmisit, p. 447. & *sqq.* Inter veteres hæreticos tali ἐνθουσιασμῷ correpti quondam fuere *Montanistæ, Donatistæ, Messaliani* & plures alii, qui visiones & somnia, ecstases, apparitiones angelicas & divinas, futurorum prævisiones, & quæ id genus sunt alia, jactabant, eoque ipso multis hominibus, qui non satis circumspecte agebant, mirifice imposuisse leguntur. Recentiores, qui nostra & patrum memoria exorti fuere, ut plurimum ex Schola THOMAE MUNZERI, CASPARIS SCHWENCKFELDII, NICOLAI STORCHII, & VALENTINI WEIGELII prodierunt, & vulgo nomine Anabaptistarum venire solent, licet aliàs etiam *Tacentes, Orantes, Enthusiastæ, Libertini* & ita porro nuncupentur. Conf. B. RECHENBERGIUS in *Append. Tripart.* Isagog. ad LL. Symb. p. 256. Sunt præterea in horum quoque censum referendi *Fratres Roseæ crucis, novelli Prophetæ, Quakeri vel Tremulantes* in Anglia, & JOH. *de* LABADIE, qui pari modo raptus divinos & revelationes cœlestes somniant, quibus tum in definiendis fidei dogmatibus, tum in actionibus vitæ instituendis unice standum esse perhibent. Horum fanaticorum autem omnium sæpissime in LIBRIS SYMBOLICIS mentio injicitur & v. g. in F. C. Art. 4. de lib. arbitr. f. 581. ubi verba sic fluunt: *Rejicimus damnamusque Enthusiastarum errorem, qui fingunt, Deum immediate absque verbi Dei auditu & sine Sacramentorum usu homines ad se trahere, illuminare, justificare & salvare &c.* Et in margine statim hæc ipsorum descriptio itidem additur: *Enthusiastæ vocantur, qui neglecta prædicatione verbi divini cœlestes revelationes Spiritus expectant.* In SOLID. DECL. f. 678. num. VI. pii majores ita judicant: *ab altera parte magna severitate & pio zelo redarguendi sunt Enthusiastæ, neque in Ecclesia Dei ferendi: qui somniant, Deum sine omnibus mediis, sine auditione verbi divini & sine usu*

Sacramentorum hominem ad se trahere, illuminare, justificare & salvum facere. Conf. etiam in CONF. AUG. Art. 5. f. II. & imprimis ex ARTIC. SMALCALD. Parte III. Art 8. de *Confess.* f. 331. 332. & 333., quandoquidem loco posteriore error Enthusiastarum, quô Scripturam vel vocale verbum prorsus rejiciunt, ex instituto refellitur. De cœtero in misellos istos homines, quos malus genius usque adeo occœcavit, ut in luce & sole quasi meridiano veritatis Evangelicæ caligent, non incongrue elegantissima illa verba accommodari possunt, quæ inveniuntur apud PRUDENTIUM:

O tortuose serpens,
Qui mille per meandros
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda!

§. IX.

Hac occasione, dum affirmavi, fanaticos lingua vernacula *Schwermeros* commode dici posse, cum more lymphatorum per omnes fere mundi plagas magno hinc inde grassentur impetu, ego existimo, ipsos non male cum Judæo illo errone comparari posse, de quo quid monumenta historicorum vulgo memorent, seu potius fabulentur, in vulgus notum est.

Etsi mihi jam non sit propositum veritatem hujus narratiunculæ ita pervestigare, ut an fides illi habenda sit nec ne, evidentius liqueat, licebit tamen illius, prout vulgo tradi solet, paucissimis saltem verbis mentionem injicere. Fertur nimirum fabulosus iste apella, cui nomen Ahasveri fuisse dicitur, olim Christi temporibus Hierosolymis vixisse, ibique per plures annos artem exercuisse sutoriam. Cum vero Servator noster optimus in eo jam esset, ut mortem, cui per impiæ Judæorum gentis suffragia addictus fuerat, animose subiret, & infaustam furcam, quæ sanctissimis ejus humeris imposita erat, in locum, ubi in crucem agendus erat, bajularet; accidisse tradunt, ut ipse memorati sutoris ædes forte præteriens ad ipsarum fores se paulisper reclinarit, saltim, ut sub gravi ligni onere fessus aliquantisper requiesceret & Spiritum, qui pæne interclusus ipsi arcte meare cœperat, denuo recolligeret. Quod cum Ahasverus videret, insigni statim in insontem Christum indignatione perhibetur excanduisse, quæ in eam mox exiit rabiem, ut eum, cum ipsi hanc respirationem penitus invideret, exquisitissimis afficeret contumeliis & tot pugnis alapisque mulctaret, ut Sanctissimus Servator ab ejus domicilio violenter abactus gressum illico proferre cogeretur. Hæc tamen injuria ne sibi impune inferretur, eam Christus sacerrimo Verpæ pœnam per divinam quandam maledictionem irrogasse

nari a-

narratur; ut dum orbis perfiſtet machina, nec mori unquam, nec ullibi ſedem ſtabilem poſſit figere, ſed in hunc usque diem per omnem, qua patet, mundum vagis & incertis hinc inde circumferatur erroribus. Etenim, ſi famæ credendum eſt, ipſe in multis terrarum locis ab illo inde tempore ſæpiſſime apparuit & a multis hominum myriadibus conſpectus fuit, uti ERASMUS FRANCISCI *in ſeiner Schau-Bühne.* P. 2. memorat. Conf. hanc fabellam explodentes FRIDERICUM SPANHEIMIUM *fil. Hiſt. Eccleſ.* Oper. Tom. I. fol. 1730. & JOH. JAC. SCHMIDT in *memorabilibus Judaicis* Part. 1. Lib. 5. c. 14. pag. 488. BASNAGE *Hiſt. de Juifs*, Lib. 7. cap. 19. pag. 1834.

§. X.

Quotusquisque vero ignorat, qui hiſtoriam illam ſaltim per tranſennam inſpexit, quæ ſpectat ad reformationem noſtræ Eccleſiæ miniſterio B. Lutheri duobus abhinc ſæculis bono cum Deo peractam, quod illis præſertim temporibus huic Megalandro noſtro *Orlamundenſis* quidam *Sutor*, qui in caſtra Anabaptiſtarum tranſierat, eorumque ſe addixerat erroribus, varias & inſignes moleſtias facefſiverit.

De Sutore iſthoc anonymo conferri omnino meretur Magnifici Dn. D. VALENT. ERNEST. LOESCHERI *Hiſtoria motuum* P. I. c. I. p. 30. 33. *ſqq.* de turbis & actionibus Caroloſtadii, ubi ex Actis, ſeu potius Pſeudo-actis de rebus, quæ inter Caroloſtadium & B. Lutherum Jenæ & Orlamundæ aliquando interceſſerunt, & *Tom. II. Operum* Luth. Edit. Altenb. p. 797. *ſqq.* copioſe ediſſeruntur, inter alia memorat, quod præ reliquis omnibus ſutor iſte Orlamundenſis, qui imprimis a Caroloſtadio variis præconceptis opinionibus imbutus & inſigniter faſcinatus erat, Luthero ſeſe quam maxime oppoſuerit ejusque conatus, quos in opere Reformationis ſuſceperat, irritos reddere vehementer anniſus fuerit. Conf. etiam HUTTERI *Concord. C. Præf. Apolog.* p. 5.

§. XI.

In noſtra patria & quidem Seculo ſuperiori ingentes undiquaque movit turbas, ſuique nominis famam longe lateque produxit famoſiſſimus ille Goerlicenſium ſutor, JAC. BOEHMIUS, utpote qui, poſtquam obſtetricante neſcio quo malo genio, varia & inaudita exitialium errorum monſtra pepererat, mox eadem in aliquot virulentiſſimis libellis, quos perquam obſcuro & vere ænigmatico dictionis genere conſarcinaverat, in publicam lucem

tam

tam confidenter protrusit, ut inanem exinde gloriolam venari &, quod ajunt, laureolam in mustaceo quærere videretur.

Licet de vita Böhmii ejusque Scriptis tot ubique prostent commentationes, ut omnem fere excedant numerum; tamen, ne ejus natales hoc loco prorsus intacti relinquantur, non præter rem erit, ejus patriam & parentes, quibus ortus est, Lectori benevolo paucis saltem verbis indicare. Lucem itaque primam ipse adspexit anno post Christum natum 1575. in pago quodam prope Görlicium sito, qui sub nomine Alt-Seidenbergii notus est. Parentes, quibus vitam suam debebat, infimæ quidem omnino conditionis erant, cum ibidem rusticanos inter labores victum sibi qualemcunque lucrarentur, neque tamen, ut iste suus filius probe educaretur & ejusmodi opificio mature adsvefieret, quo vitam aliquando honeste sustentare posset, ullis pepercere sumtibus. Hinc, cum ipse in ætate adultiori jam constitutus esset, artem sutoriam, cui se traderet, sibi elegit, &, postquam illam intra aliquot annorum decursum rite addidicerat, se postea Görlicium contulit, ut calceos suendo sibi panem compararet. Hic cum degeret, ita se semper gessit vitamque suam sic instituit, ut ab universis civibus pro probo & honesto homine haberetur, teste MORHOFIO, qui in *Polyhistore* L. I. c. 10. p. 93. *Pietatem*, inquit, *viri istius*, nempe Böhmii, *nemo hactenus in dubium vocavit*, nec non Tom. III. c. 5. p. 555. ubi, *Böhmius*, ait, *vir erat pius, pacificus, nemini molestus & quotidiano suo labore victitans.* Negari tamen non potest, quod Morhofianum hocce judicium non omnibus Viris eruditis satis probatum fuerit, quandoquidem doctissimus Dn. MOLLERVS illud mitius & nimis honorificum nominat, quod a fautoribus & asseclis Böhmii, *Frid. Breclingio, Jes. Stiefelio* aliisque adversariis certatim fuerit oppositum. p. 93. in not. (aa). At vero per assiduam librorum heterodoxorum lectionem illud tandem effecit, ut in pessimum quendam turbonem degener varios in rebus sacris tumultus moveret & malitiosus purioris & divinæ doctrinæ desertor ad castra fanaticorum manifesto deficeret. Anno superioris seculi decimo septimo ecstasi quadam per integros septem dies abripiebatur ad divina & cœlestia contemplanda fruendaque, atque eadem post aliquot annos ipsi, cum jam in conjugio viveret, & binos aleret filios, de novo iterum obtigit, in cujus rei memoriam libellum quendam postea conscripsit, cui titulus est: *Aurora* vel *Rubedo matutina*, quem a nemine ne quidem basiatorum ejus satis intelligi experientia docuit. Equidem non adeo infelix & indocile ingenium ipsi natura tribuerat, ut omnino spes esset, eum, si a prima statim pueritia animum per culturam honestarum artium traduxisset & in ejusmodi Præce-

ptorum se tradidisset disciplinam, qui ipsi formando fingendoque præfuissent, non contemnendos progressus in literarum studio facturum fuisse. Ast cum omnis doctrinæ tam rudis & expers esset, ut præter prima religionis Christianæ elementa nihil amplius calleret, & nihilo tamen secius in abstrusissimorum scriptorum adyta, quæ tum rerum tum verborum sublimitate ejus captum longissime superabant, totum se frequenter immergeret; non poterat fieri, quin in eos difficultatum fere inextricabilium mæandros se quasi implicaret, ut, qua ratione exinde elabi posset, penitus ignoraret, nullumque præter confusam maximeque turbatam rerum lectarum notitiam fructum consequeretur. Interim tamen, qua erat insolita ambitione & δοκησισοφίᾳ, sibimet ipsi persvasissimum habebat, se tam singularis & prorsus stupendæ in rebus cœlestibus cognitionis & peritiæ gnarum esse, ut omnes alto fastidiret supercilio & tanquam volitantes umbras præ se contemtim haberet. Insolens iste fastus, quo mirum in modum turgebat, lævam ipsius mentem usque adeo infatuabat, ut, ne imaginariam hancce, quæ illi vehementer abblandiebatur, eruditionem alios prorsus latere sineret, consilium de conscribendis variis libellis caperet illico, & eo amplius explicandarum suarum dotum theatrum nancisceretur. Quod institutum suum cum paulo post minus propitia Minerva aggrederetur, alias atque alias ῥαψῳδίας tam Theologici quam Philosophici argumenti exire fecit, in quibus tot ubique τερατολογίαι, tanta vocabulorum obscuritas & tot denique abstrusorum Cabalisticorumque sensuum tenebræ occurrunt, ut ipsis foliis Sibyllinis turbatiores esse videantur, nec satis liqueat, quid de illis dici & judicari possit. Inter alia autem ejus scripta, quæ conjunctim in Batavia prodiere, ea fere sunt præcipua, quæ de aurora, de tribus principiis, de cœlesti pariter atque terrestri mysterio, de arbore fidei, de vita quam vocat suprasensuali l. *übersinnliches Leben*, de mysterio magno supra Genesin concinnavit, ut plura alia silentio omittam. Librum posteriorem de mysterio magno paulo ante suum obitum, qui in annum seculi superioris 24. incidit, confecit, quo Weigelianismum in rebus pluribus mire incrustavit, omnia fidei mysteria peculiari & insolita ratione explicuit, Enthusiasmis cuncta tribuit, verbi divini prædicationem promiscuam esse jussit, de resurrectione carnis mystice sensit, & id genus alia monstra exclusit. Tantum autem abest, ut cum unanimi Virorum eruditorum applausu excepta fuerint scripta ejus omnia, ut potius judicia de ipsorum auctore prolata quam maxime inter se discrepent, cum partim fuerint, qui ipsum mirifice efferrent & autumarent, nescio quid divinum aut θεῖον in ejus libellis latere, partim nec defuerint, qui pestilentissimos errores, quo-

rum ingentem numerum ibidem coacervavit, probe perſpicerent variasque illi opponerent refutationes. Inter eos, qui Böhmium partim excuſarunt, partim de eo mitius, quam alii aſperiores cenſores, judicarent, primas facile tenet HENR. MORVS, Philoſophus & Theologus inter Anglos celeberrimus, qui de Sutore iſthoc Görlicenſi ita in operibus ſuis Philoſophicis ſenſiſſe refertur a MORHOFFIO in *Polyh.* p. 93. ut eum damnare non auſus fuerit. Conf. B. JOH. WOLFG. JÆGERVS in *Examine Theologiæ Myſticæ*, ubi hoc Mori judicium inter alia etiam ſub examen vocavit. Nec minus huc pertinet DAN. GEORG. MORHOFF. utpote qui in *Polyhiſtore*, prout jam ſupra paucis oſtenſum fuit, paſſim de Jac. Böhmio ita loquitur, ut ipſum omni modo excuſet, quando v. g. his verbis aliquando de eo utitur: *Jac. Böhmius Lutheranæ Eccleſiæ membrum fuit, totiesque a Theologis noſtratibus in examen vocatus ſic reſpondit, ut illum damnare ſibi religioni fere duxerint.* Tom. 3. L. 5. p. 555. Fuit tamen eorum etiam non exiguus numerus, qui Böhmium pro homine maxime fatuo haberent, id quod inter alia ex venuſtiſſimo ZIEGLERI *epigrammate* patet, quod ipſe in Böhmium ejusque errores ſcite & acute luſit ſequentem in modum:

Mein innerliches Licht, Geiſt, Lehren, Leſen, Schreiben,
Die Selb- und Ichheit iſt ein abracadabra.
Bald war der Narr entzückt, bald war er wieder da,
Das heiſt: Der Schuſter ſoll bey ſeinem Leiſten bleiben.

Ex iis, qui Böhmii doctrinam refutarunt, huc pertinent B. SAM. POMARIVS, Superintendens quondam Lubecenſis, qui in Scripto *Anti-Gutmanniano* vernaculo bipartito nomine Eccleſiaſtum Lubecenſium, Hamburgenſium & Luneburgenſium Anno 1677 & 79 edito, quod inſcribitur: *Abgenöthigte Lehr- und Schutz-Schrifft gegen den Gutmanniſchen Offenbahrungs-Patron &c.* ipſum paſſim vellicavit, conf. MOLLERVS in *annot. ad Polyh. Morhoffii* pag. 554. Porro B. CALOVIVS in ſuo *Anti-Böhmio*; & ex Pontificiis, Scriptor quidam forte pſeudonymus GERHARD. ANTAGNOSSVS, calamos contra eundem ſtrinxere & poſterior Scripta Bohmiſtæ celebris *Joh. Theod. à Tſcheſch* recudi fecit cum refutatione anno 1644. cui titulum fecit: *Ne ſutor ultra crepidam.* Conf. SAGITTARII *Introd.* p. 903. COLBERG. *in ſeinem Platoniſchen Chriſtenthum* p. 327. B. PFEIFFERI *Anti-Chiliaſmus* c 2. p. 65. & magni CALOVII *Anti-Böhmius* p. 119. Fuerunt etiam, uti in vulgus notum eſt, qui contenderent, ſcripta, quæ ſub nomine Jac. Böhmii prodierunt, a Pontificiis adornata fuiſſe eum potiſſimum in finem, ut in Eccleſia Lutheranorum varia excitarent ſchiſmata, id quod inter alios DESIDERIVS quoque PACIVS aſſerit in tractatu, quem ſub titulo: *Sedig*

Verſoeck

Verfoeck, aen Juffrau Anna Maria Schurmannin quondam edidit. Fertur autem sub fictitio isthoc nomine latere GVILIELMVS SALDENVS, Concionator quondam Hagensis, uti constat ex *Biogr. Vir. Erud. Mencken.* p. 1956. sub titulo: *Saldenus.* Conf. COLBERGII *Platonisches Christenthum* P. I. p. 319, ubi *Placium* de Pseudonymis hunc in finem allegat. At vero, licet Scripta illa ab homine literarum omnium prorsus rudi concinnari potuisse, pene prodigio similis res sit, *Morbofius* tamen illos non immerito inepte suspiciosos vocat, qui Pontificii cujusdam technas Scriptis Böhmii subfuisse crediderint, cum ab uno homine & ipso profecto omnia, arguunt idem styli tenor eadem in omnibus rerum conformitas. Conf. *Polyh.* L.I.c. 10. p. 93. Imo existimo, hanc suspicionem æque incertam esse & per, quam lubrico fundamento niti, atque illam, quâ de Qvakeris Anglis præsertim circa ann. 1664. multis persvasissimum erat, forte Pontificios & inprimis ex societate, quam dicunt, Jesu homines sub ipsorum personis delitescere, ut eo tectius & securius Ecclesiæ varia pericula machinari possent. v. CROESIVS in *Hist. Qvakerorum*, ubi p. 224. eandem copiose diluit. Cui volupe est plura de vita scriptisque Böhmii cognoscere, is consulere potest GOTTF. ARNOLD. *Kirch. und Katz. Historie*, B. CALOVIVM in Præf. *Anti-Böhmii*, IVSTI WESS. RVMPAEI dissertationem de *Jac. Böhmio*, *Historiam* Jac. Böhmii, quæ prodiit Hamb. anno 1698. in 8t. GROSSERS *Laussnitzische Merckwürdigkeiten* P. 2. ZIEGLERS *Schauplatz der Zeit*, ABR. CALOVII diss. *de Böhmio ejusque scriptis*, BVDDEI *Historisches Lexicon*, JÆGERI *Hist. Eccles.* sec. 17. f. 15. & plures alios. De cœtero in calcearii hujusce Görlicensis asseclas non male illud accommodari potest, quod ait Phœdrus in fabula de *Sutore Medico* L. I. fab. 14.

Quantæ putatis esse vos dementiæ,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?

§. XII.

Hoc Philosopho, quem vocant, Teutonico non inferior censendus est sutor ille per omnem Angliam longe notissimus, GEORGIVS FOX, qui ineunte superiori seculo & doctrina & scriptis luculentissima novaturientis animi, quo ad Fanaticismum mire propendebat, documenta manifesto prodidisse scribitur.

Quæ CROESIVS in *Historia Qvakerorum* de sutore isthoc ejusque vita fusius enarravit, lubet hoc loco in compendium mittere, & recisis omnibus ambagibus ea saltim, quæ necessario huc afferenda erunt, strictim recensere. Natus itaque fuit Georgius Fox in Angliæ Comitatu seu provincia

Leicestriensi ejusque parœcia Dretonensi, anno post C. N. 1624. patre Christoph. Foxo & matre Maria Lago, utrisque textoriæ operæ addictis. Singulare ejus, quo per naturæ indulgentiam gaudebat, ingenium in tenella statim ipsius ætate inter alia exinde satis luculenter apparuit, quod ipse adolescentulus nec inter æquales pueriliter unquam lusisse, neque ea, quæ isti alias ætati perquam jucunda & accepta sunt, appetiisse conspectus fuit. Nam omnium puerorum, qui ipsi coævi erant, consortia semper evitasse, eorundemque puerilitatem usque adeo quasi ludibrio habuisse scribitur, ut solus semper ageret, raro cum quoqnam loqueretur, &, si quid ore proferret, tristi & austero appareret vultu, per varias interrogatiunculas multa curiose scrutaretur, iisque, quorum instructione imbuebatur, magna cum attentione industrium se præberet auscultatorem. Nullam vero aliam præter lingvam Anglicanam dicitur calluisse, quam in pueritia ita addidicerat, ut, quæ typis exscripta erant, satis intelligeret, quæ autem calamis erant exarata, ne quidem legere valeret, unde etiam, si quid scribere tentaret, eorum adhibebat operam, qui, ut ejus dictata pennis exciperent, ei a latere & manibus semper erant. Illud præterea quoque non parum mirari subit, quod, cum lingua Anglica ipsi vernacula & quasi nativa esset, in ea tamen tam inexercitatus perpetuo manserit, ut, si cum quodam sermones forte conferret, mentem suam nunquam tam commode explicare potuerit, ut a quovis satis capi & intelligi posset. Postquam paulo robustior factus erat, sutorio opificio se tradidit, &, ut omnium hominum salutationes earumque molestias eo cautius evitaret, officinam suam ex inferiori ædium parte in superius domicilii tectum ita transtulit, ut conspectum unicuique prorsus subduceret. Ibi, cum in quadam quasi solitudine ageret, suæ conficiendorum calceamentorum operæ, quantum necesse erat ad usum vitæ, unice intentus erat, nec, si sedem forte pristinam migraret, aut ubicunque locorum degeret, illi sedulo vacare cessabat, residuum autem temporis, quod ex quotidianis laboribus ipsi restabat, religiosis suis exercitiis destinabat. Cum annos novendecim natus esset, peculiari quadam corripiebatur ecstasi, &, cum per varias Dei angelorumque apparitiones, quas eo quidem tempore sibi obtigisse gloriabatur, altiori quadam rerum sacrarum notitia imbutus collustratusque fuisset, ab illo statim momento altius incœpit sapere. Post præterlapsum vero triennium, cum annum ætatis vigesimum secundum ageret, tabernam sutoriam linquebat illico & ad suscipiendum doctoris publici officium, quod diu affectaverat, accingebatur, &, ne pristini sui status unquam immemor esset, vestitum quendam coriaceum sibi comparabat, quo sive obambularet, seu concionatoris fungeretur munere,

totus

totus ſemper amictus erat, unde etiam poſtea nomen *viri coriacei* ſortitus eſt. Conf. CROESIVS p. 35. Anno ætatis vigeſimo quarto, cum ſua doctrina & ſcriptis magnas ubique turbas dediſſet, rapiebatur ad carcerem, & cum ad Protectorem Cromwellum duceretur coram eo ſuam cauſam oraturus, eandem tam animoſe peroravit, ut ſub ejus, dum viveret, tutela & conniventia ſuos errores palam & impune ſpargeret, magnamque hominum vim in ſuam pertraheret ſocietatem. Nam CROESIVS in *Hiſt. Qvakerorum* p. 17. diſertis teſtatur verbis, quod innumeros ſectatores & aſſeclas per totam Angliam hinc inde nactus fuerit, qui a ſuo auctore *Georgiani* & *Foxiani* plerumque dicebantur, & quod ipſe vulgo primum ac glorioſum Societatis Qvakerorum inſtrumentum & magnus beatusque Apoſtolus a ſuis ſociis nuncupatus fuerit. Ipſe cum diu vitam cœlibem egiſſet, illius tandem pertæſus rei uxoriæ applicabat animum & veterem amicam eamque hoſpitem, Margaretham, Felli viduam, in matrimonium ducebat, cum qua poſtea ſine communi prole ad ſeram usque ætatem vixit. vid. CROES. L. 2. p. 321. ſqq. Anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo primo in Americam Anglicanam excurrebat, ibique varios cœtus aut formabat aut confirmabat, & per totum fere orbem quoddam literarum inſtituebat commercium, præſertim cum Judæis Amſtelodamenſibus, nec etiam ad ipſum Papam Romanum & Turcarum Imperatorem literas dare verebatur. ib. p. 380. Præterea vaſtum quoddam de rebus ſuis geſtis præſertim tempore ſui miniſterii volumen conſignabat, & cum morti vicinus eſſet, cavebat teſtamento, ut poſt exceſſum ſuum typis exſcriberetur, id quod etiam factum eſt, ceu ipſe CROESIVS p. 331. affirmat, hujus libri poſt multas impenſas ſibi tandem copiam factam eſſe. Fertur alias Foxus iſte vir & animi & corporis habitudine pariter inſignis fuiſſe, nempe corpore ſolido ac ſuccipleno, animi autem habitu velut ad corpus attemperato, felici memoria, ingenio nonquidem omnino hebeti, ſed neque valde acuto ac ſolerti. ib. p. 382. Negari etiam non poteſt, quod per totam vitam variis hominum ludibriis & injuriis, quibus cumulatiſſime excruciabatur, fuerit expoſitus, quas nullo alio modo niſi per mortem eluctari potuit, quam ſubiit ſub initium anni 1691. De cætero hic, de quo hucusque egimus, Foxus non eſt confundendus cum alio quodam Qvakero, qui ipſi cognominis fuit, & cujus mentio apud CROESIVM L. 2. p. 306. injicitur; nec ſcio, an relationi B. D. JOH. GEORGII NEUMANNI fides tuto habenda ſit, quando in *Synopſi Errorum Fanat.* Diſp. I. c. 3. de Foxo refert, quod, priusquam ad Qvakeros ſeceſſerit, vitæ antea paſtoritiæ adſvetus & curæ pecudum præfectus fuerit.

§. XIII.

Nec exiguam ex ſutoribus aſſeclarum copiam, uti jam docuimus, Georgius Fox per omnem Angliam hinc inde nactus eſt, qui ſuis erroribus mira ſuffragiorum concordia adſtipulabantur, inter quos jam ſufficiat nominatim allegare SALOMONEM ECCLESIUM, & BOSWEL MIDLETONUM.

SALOMON ECCLESIUS in prima pueritia arti Muſicæ ita ſe dederat, ut eandem a patre & avo edoctus, voce pariter atque fidibus tam ſcite caneret, ut ſe ſuamque familiam ex ejus reditibus per plures annos laute admodum ſuſtentare poſſet. Poſtea vero, cum Qvakerorum erroribus inſigniter ineſcatus eſſet, priſtinum vitæ ſuæ genus ita immutare conſtituebat, ut in diſciplinam *Qvakerorum* penitus tranſiret, poſtquam omnes ſuos libros & inſtrumenta Muſica magno pretio vendiderat, tanquam ſibi prorſus inutilia & noxia. Cum autem paulo poſt ſecum recogitaret, alios quoque homines hoc apparatu ad vanitates, quæ Chriſtianos plane dedeceant, facile ſeduci poſſe, omnia, quæ vendiderat, inſtrumenta, non minori pretio redimit, redemtaque in vico urbis Londini, cui nomen Tourhil, inſtructa & incenſa pyra tanquam oblectamenta deſidiæ & laſciviæ irritamenta publice comburit. Hoc facto in ſutrinam ſtatim ſe recipit, ibique arti σκυτετομικῇ, qua victum ſibi poſtea parare poſſet, ſuam diligenter navat operam, Foxi & aliorum Erronum imitator ſtrenuus. Quam cum ſucceſſu temporis rite addidicerat, ſibi ſacculum, quem variis inſtrumentis ſutoriis refertum perpetuo & ubicunque locorum eſſet, ſecum circumferebat, comparat, eoque inſtructus in templum, quod in vico Aldermenburg conſpicitur, aliquando frequente cœtu ſe confert, ut ſuas ibi operas exerceret. Dum itaque cœtus cantilenas occipit, ille ſe proripiens ad menſam adminiſtrationi S. Synaxeos deſtinatam accedit, ut ibi conſidens tanquam in ſutrina arti ſuæ vacaret. Quod cum animadverteretur, ipſe tanquam homo mente captus ex ſacra ſtatim æde ejicitur domumque jubetur repetere, ſed nihilo tamen ſecius ſequenti die Dominica redit, &, cum in eo eſſet, ut verbi divini miniſter ſuggeſtum conſcenderet, hic eum extemplo antevertit & furibundo ſimilis non ſegniter ambonem ſcandit. Ibi ſua producens inſtrumenta ſutoria ſuere orditur, &, licet confeſtim a præſentibus deturbaretur, denuo tamen aſcendere nititur, donec diu obluctatus inter plurimas injurias e templo prorſus pelleretur. Conf. CROESIVS L. I. p. 171. Quanto poſtea furore quantâque impudentiâ idem ſe geſſerit, quasque commiſerit ineptias, ut inde magnam malorum, quæ ſuo quaſi ſuebat capiti, iliadam ſibi accerſeret, ab eodem CROESIO fuſius exponitur L. II. pag. 318. ſeqq.

De

De BOSWEL MIDLETONO hoc ſaltim *Croeſius* p. 140. memorat, quod in urbe Eboraco ſutor alutarius fuerit & poſtea, cum cœtui Quakerorum ſe aggregaſſet, varios quoque paſſim excitaverit tumultus.

§. XIV.

In *Batavia* non prorſus defuiſſe ſutores, qui fanaticorum placita ſectati fuerint, ex hiſtoria ſatis luculenter patet, & imprimis ex HORNBECKII *ſumma Controverſiarum*, nec non ex CROESII *Hiſt. Quak.* ex quibus inter alios binos ſaltim calcearios jam allegare ſufficiat.

Prior nimirum L. 5. *Anabaptiſmo* p.m. 350. *Sutoris* cujusdam *Gröningenſis*, HENRICI, ex Anabaptiſtarum familia oriundi meminit, qui ſuis erroribus ingentes per omnem Bataviam turbas dederit; & *poſterior* p. 85. adducit JOH. HIGGINSIUM, *Sutorem Doverenſem*, qui, poſtquam ad Quakeros ſeceſſerat, primus & præcipuus inter turbones illos fuiſſe ſcribitur, qui in Belgium pervenerit, ut ſuos ibi errores ſpargeret & peculiarem quendam coetum ſibi conciliaret. Conf. p. 485.

§ XV.

In *Gallia*, ante annum circiter, ſutorem quendam NAUCLETUM cœpiſſe varios errores, quos ex frequenti ſcriptorum fanaticorum lectione procul dubio hauſerat, diſſeminare, conſtat, uti in præfatione jam fuit monitum, ex *innocua Novantiquarum* in rebus Theologicis relationum collectione *de anno* 1729. *Sect.* 3. p. 320. *ſqq.*

Lubet, ne lectorem Benevolum per ulteriores ambages diutius detineamus, ipſa illa verba hic ſtatim apponere, quæ *loco citato* in hunc modum leguntur: *Jacob Böhm, Maxim. Daut und andere Schuſter haben einen Collegen in Paris bekommen an dem Schuſticker Nauclet.* Vid. Europ. Fama 274. *Stück* p. 869. *Dieſem hat ehemahls die Frantzöſiſche Cleriſey von den Conſtitutionnaires eine Penſion ertheilet wegen ſeiner Verdienſten. Die Jeſuiten gaben ihm das Zeugniſs, daſs er ein groſſer Bekehrer und mächtiger Streiter und Verfechter der Conſtitution ſey. Hingegen ſagten die Appellanten, er ſey ein Phantaſt, der mit Erſcheinungen geplagt. Von dieſem war es auf eine Zeit her ſtille, aber vor gar wenig Wochen dieſes* 1729. *Jahres kamen viel Klagen wider ihn, deſswegen er vor dem Procureur General und Cardinal de Noailles muſte, die ihm ſehr ernſtlich verbothen, ins künfftige die Catechiſmus-Examina, die man in denen verſchiedenen Pfarren zu Paris hält, als ein Fanaticus durch ſeine lächerlichen objectiones zu interrumpiren. Dergleichen that der Hoff mit Bedrohung, ihn als einen Rebellen zu züchtigen,*

gen, wo er mehr dergleichen Aergerniss gebe. Weil er aber nicht desistirt, wie dergleichen Leute unter dem Vorwand eines göttlichen Beruffs es zu machen pflegen, hat man ihn in die Bastille geführt.

§. XVI.

Nec minus in hunc censum referri merentur, JOH. MAXIM. DAUT, BRUNO LAMBERTS, PETER TREICHEL, JOH. HEINR. KRAFFT, & ille denique *Anonymus*, cujus ROBERTUS BARCLAJUS meminit in *Apol. Quakerorum*, Sect. 277. Edit. Germ. p. m. 220.

JOH. MAXIMILIANUS DAUT Francofurti ad Mœnum natus est, & postquam in pueritia suendorum calceamentorum operæ sese dederat, mox, cum ad maturiorem adolevisset ætatem, ex sutore evasit in fanaticum. Anno post Christum natum 1711. *Lugdunum Batavorum* ad *Uberfeldium* se contulit, qui, cum olim Francofurti ad Mœnum mercatorem egisset, in Belgio postea in fanaticorum castra transierat. Inter alios autem, quos emisit, libellos ille imprimis notus est, qui sub titulo: *Helle Donner-Posaune* anno 1710. in 8vo. prodiit, & in quo complura vaticinia continentur, quæ, *Helvetiæ, urbi Argentinæ totique Imperio Romano* innumera mala infaustique ominis pericula portendunt. Conf. *Unschuldige Nachrichten* ad annum 1710. p. 281. *sqq.* it. ad annum 1712. p. 876. Nec leves hæc scripta in pagis, qui urbem Ulmam circumjacent, turbas movisse tantoque ipsorum cœtibus scandalo fuisse scribitur, ut Magistratus coactus fuerit ejus vesaniam gravi quodam Edicto, quod per singulas ædes de sacris rostris publice prælegeretur, coercere eoque insimul lectione librorum *Dauti* vulgo interdicere. Conf. *U. N.* de anno 1714. p. 289. & 302. ubi ipsum illud Edictum ad verbum legitur. Ipse etiam DAUTUS *in seinen geistlichen Betrachtungen*, quæ anno 1711. in 8vo. prodiere non diffitetur, se, inspirante Diabolo in suis scriptis hinc inde pestilens virus sparsisse, vid. *U. N. de anno* 1712. p. 289. & *de anno* 1714. p. 302., ubi posteriore loco insimul elenchus quidam præcipuorum ipsius errorum exhibetur. De cœtero magnum assectarum numerum *Londini* nactus fuisse dicitur, id quod Anglo illi celeberrimo CAROLO OWENO magnas querimonias elicuit, quas quidem effudit in libro, qui inscribitur: *The scene of delusions &c. of Prophetical Impostures*, & Londini in 12. prodiit. Conf. *Unschuldige Nachrichten* ad annum 1713. pag. 1072. De BRUNONE LAMBERTS & PETRO TREICHEL, B. GOETZIUS in suo de *doctis sutoribus* Schediasmate §. 9. p. 37. hæc habet: *Unter die Zeugen der Wahrheit ziehet Breckling in Arnolds K. u. K. Historie noch zwey Schuster an, als durch ihre Schrifften berühmte und in göttlichen Dingen erfahrne Männer, nehmlich Bruno Lamberts*

berts und Petr. Treicheln. Conf. ejus *K. u. K. H.* P. 4. Sect. 3. n. 18. f. 766. De JOH. HEINR. KRAFFTIO referunt celeb. auctores *der Unschuldigen Nachr.* de anno 1706. p. 694. quod per errores suos fanaticos ingentes Argentorati tumultus excitaverit & propterea ex urbe isthac fuerit ejectus. Conf. LUDEWIG in *Hist. Univ.* P. 1. p. 741., qui loco citato memorat, dictum *Krafftium*, motibus illis Pietisticis, qui ineunte hoc seculo Argentinæ orti fuerint, insimul implicatum fuisse.

De sutore denique anonymo, cujus ROBERTUS BARCLAJUS meminit, sequentia loco citato leguntur: *Ich selbst kenne einen armen Schuster, welcher nicht ein Wort lesen kan, und noch, weil ich dieses schreibe, im Leben. Als einsten ein gelehrter Theologus oder Gottesgelehrter vor der Obrigkeit einer Stadt, dieweil man ihn wegen seiner zu etlichen wenigen gehaltenen Predigten ergriffen und dahin gebracht, mit falscher Anziehung eines Schrifft-Ortes sehr hart auf ihn gedrungen. Ungeachtet nun dieser Gottesgelehrte, so sonst vor einen sehr gelehrten Mann geachtet wurde, beständig versicherte, dass seine Worte ein Schrifft-Spruch wären, so behauptete doch dieser arme Schuster, nicht durch einige Wissenschafft der Worte oder des Buchstabens, sondern aus der allzugewissen Gewissheit des Geistes in ihm selbst, dass der Theologus lüge, und dass der Geist Gottes niemahls solches, was der andere vorgäbe, gesagt. Und als die Bibel desswegen gebracht worden, so hat es sich also befunden, wie der arme Schuster gesagt gehabt.*

§. XVII.

Verum enim vero non inepte hoc loco quæstionem moveri posse existimaverim, quæ nimirum sit caussa, quod sutores præ omnibus aliis opificibus tam pudendo novaturiendi laborent pruritu, ut animo ad fanaticismum insigniter proclivi tot tantasque sæpe machinari turbas non erubescant.

Nisi mihi subverendum esset, ne actum agere viderer, possem omnino hoc loco de ipsa enthusiasmi origine, unde nimirum sit proprie accersenda, nonnihil differere. At vero, cum prope innumera scripta ubique prostent, ex quibus sufficientissima hac de re cognitio hauriri potest, merito hoc labore supersedeo & Lectorem benevolum saltim remitto ad MERIC. CASAUBONI tract. de *Enthusiasmo* & JOH. LOCKII L. de *intell hum*, ubi L. 4. p. 912. *sqq.* de origine Enthusiasmi copiose agitur. Cum præterea quoque maxime temerarium sit apodicticas & demonstrativas rationes afferre velle, quibus quæstio supra proposita stabiliri queat, saltim mihi integrum erit, conjecturis, quoad fieri potest, aliquantulum insistere. Absit vero, ut præposteræ illorum hominum sinisteritati album adjiciam calculum, qui ut aliis artificibus, quorum v. g. numero pictores vulgo censeri solent, ita etiam sutorio ordini eam fatuitatis notam tribuunt, quæ tanquam inseparabilis quædam affectio illis nunquam non inhærere soleat. Quanquam enim negari non possit, unum itemque alterum ex horum, quos dixi, ho-

minum tribu insigni quadam judicii ἀῤῥωςία nonnunquam laborare, hoc tamen de omnibus & singulis eo minus jure affirmari potest, quo minus a particulari ad universale consequentiam valere constat. Quandoquidem experientia satis superque testatur, non paucos ex pictorum, aliorumque artificum opificumque familia frequenter extitisse, qui non parum cum ingenii tum judicii fœcunditate & sagacitate polluerunt Conf. de *Pictoribus* imprimis *celebribus* GEORGIUS PASCHIUS in *Inventis nov-antiquis*. Neque etiam mihi animus est in notas & κρειτήρια probabilitatis, cujus fortasse speciem qualescunque conjecturæ meæ præ se ferre videantur, operose jam inquirere, præsertim, cum eo audaciæ non procedam, ut illas cuiquam confidenter velim obtrudere. Priusquam tamen ad rem ipsam me convertam, & in sequentibus §§. rationes illas in medium proferam, non possum, quin hoc insimul loco HENR. MORI mentionem injiciam, qui in *operibus* suis *Philosophicis*, dum de *Jacobo Böhmio* ejusque erroribus judicium ferre constituit, inter alia quæstionem hancce satis curiosam affert: *Quomodo scilicet cum divina providentia, ejusque bonitate & perfectione combinari possit, quod permittat, ut Christiana & salutis suæ cupida anima in tam multos & manifestos errores incidat?* Conf. J. WOLFG. JAEGERUS in *Examine Theol. Mysticæ*, & B. COLLBERGIUS, *in Platznischen Christenthum*, P. I. p. 307. Est autem hæcce quæstio ita omnino comparata, ut sufficienti responsione facile possit dissolvi, quandoquidem non video, qua ratione Deus injustitiæ cujusdam insimulandus sit, si permittit, ut homo, qui spretis S. literis, in quibus viam æternæ salutis unice nobis patefecit nonnisi suis φαντάσμασι, variisque immediatis revelationibus, quæ nullibi tamen nobis promissæ fuerunt, indulget, in ejusmodi prolabatur errores, quos deinceps perquam difficili negotio iterum eluctari potest.

§. XVIII.

Quantum itaque mihi datur cernere, ad quæstionem in *præcedenti* §. propositam alio atque alio modo non impertinenter responderi potest. Et *primo* quidem quod forte ipsius opificii ratio perbellam ejusmodi vesanis hominibus occasionem subministret, varios somniandi fingendique errores, quippe quod tantam advertentiam tantamque solertiam non requirit, ut animus inter ἐγχειρήσεις aliis speculationibus indulgere nequeat.

Supervacaneum fere est veritatem hujus §. multis verbis demonstrare velle, præsertim, cum manifestum sit, manus & digitos sutorum, si imprimis minus elegantes & concinnos calceos compingunt, ita quasi labori adsuetos esse, ut αὐτομάτως se moveant, adeoque, dum subula soleas consuunt, animus variis meditationibus vacare & mira deviæ rationis simulachra sibi imaginari possit. Conf. COLBERG. *Plat. Christ.* P. I. p. 316. *sqq.* Hinc CROESIUS in *Hist. Quak.* L. I. p. m. 21. De *Georgio Foxo* testatur, quod hanc ipsam ob causam hoc opificium sibi

ſibi elegerit, cum exiſtimaverit, illud ſuis meditationibus, quam maxime opportunum eſſe. Notum præterea eſt, quod hodie inter ſutores ſæpe exiſtant nonnulli, qui aves, quæ per naturalem quandam docilitatem eo poſſunt adſuefieri, ut vocem humanam exprimere & imitari diſcant, inter laborandum docere conſueverint forte exemplum ſutoris illius ſecuti, qui, uti MACROBIUS refert, & Romæ coturnicem edocens: *χαῖρε κύριε καῖσαρ*; etiam hoc adagium: *Oleum & operam perdidi*, ſæpius & cum indignatione repetendo illud tandem effecit, ut avis eadem verba eloqui diſceret.

§. XIIX.

Hinc etiam nemini mirum atque inſolens videri debet, quando in priſcis annalium monumentis relatum legitur, quod a primis Philoſophiæ inter Græcos orientis temporibus non pauci extiterint ex Philoſophis, qui dum contemplationibus Philoſophicis ſolerter vacabant, ſutorias una operas exercuiſſe memorantur.

Equidem GOTTFR. ARNOLD. *in der Abbildung der erſten Chriſten*, P. I. p. m. 245. diſertis verbis teſtatur, inter Græcos olim multos extitiſſe Philoſophos, qui arti ſuendorum calceorum una addicti fuerint. Cum vero loco citato nullum ejusmodi exemplum attulerit, reor, me non præter rem facturum fore, ſi pauca quædam hic fuero allegaturus. Provoco itaque ad DIOGENEM LAERTIUM, qui L. 2. *de vitis Philoſophorum* Philoſophi cujusdam SIMONIS *Athenienſis* meminit eundemque *τὸν σκυτοτόμον* vocat. Quanquam enim negari non poſſit, quod hoc vocabulum alias etiam *Coriarium*, ſeu *Cerdonem* ſignificet, non inepte tamen AEGID. MENAGIUS in *Obſervat. ad Laërt.* L. 2. p. 78. judicat, hanc vocem frequentius *Sutorem* denotare, prout *τὸ σκυτοτομεῖν* idem eſt ac *ſutorem agere*, ſecundum HENR. STEPHANUM in *Theſ. ling. Græc.* Tom. 3. p. 883. In eadem fere ſententia verſatus eſt CHRIST. THOMASIUS, quando in diſſertatione: *an Sutor Philoſophum poſſit agere?* quam in promiſcuarum quæſtionum maximam partem paradoxarum dodecade, quæ ejus *inſtitutionibus Jurisprudentiæ divinæ annexa* eſt, ſimul inſeruit, hujus potiſſimum Simonis Athenienſis exemplo demonſtrare annititur, omnino fieri poſſe, ut ſutor nomen Philoſophi quandoque tueri poſſit. Nec minus refert DIOGENES LAERTIUS de eodem iſthoc Simone, quod aliquot colloquia conſignarit, quæ vulgo *coriacea* vel *lederne Geſpräche* dicta fuerint. De ELEO HIPPIA *Sophiſta* quodam, qui Socrati coævus fuit, CICERO lib. 3. *de Oratore* tradit, quod omnia ſuorum veſtimentorum, quibus amictus inceſſit, genera, adeoque etiam calceos confecerit. Conf. JANUS NICIUS ERYTRAEUS in *Pinacotheca* P. I. pag. 6. Nec in poſterioribus temporibus ſutores defuiſſe conſtat, qui, dum in ſuis officinis arti ſuæ vacabant, literarum inſimul tam ſtudioſi fuerunt cultores, ut ſæpe ad non mediocrem notitiam rerumque cognitionem aſpirarint. Sic v. g. conſtat de notiſſimo illo verſifice & phonaſco (*Meiſter-Sänger*) HANS SACHSEN,

quod *Sutorem* Noribergæ egerit & sæpe inter laborandum non leves hymnos & versus composuerit. Conf. ARNOLDS *K. und K. Hist.* P.2.p.129 & B. GOETZIUS in Schediasmate de *doctis sutoribus* p. 26. *sqq.* Postquam per aliquot annos longe lateque peregrinatus fuerat, sutrinam tandem reliquit & Ludimoderator factus est. Conf. MORHOFF. *von der deutschen Sprache und Dichtkunst*, L.II. c. 7. p. 341. TENZEL. *in Monatl. Unterredungen aufs Jahr* 1691. p. 944. Et uti ARNOLD. *in seiner K. u. K. Hist.* P. I. L.16. c.11. §.33. p.130. memorat, a Pontificiis Lutheranorum coetui, quam maxime vitio vertitur, quod ipsius sc. Sachsii Cantilenam in suis templis frequenter cantare soleant. Ita etiam famosissimus ille CHRISTIANUS DEMOCRITUS in sacerrimo scripto, cui titulus est: *Orcodoxia Orthodoxorum*, sutoris cujusdam anonymi meminit, quem D. *Joh. Henr. Majus* ob singularem, qua non paucos ex paganis Pastoribus superaverit, doctrinam insigni mactarit elogio. Conf. *Unsch. Nachr.* de anno 1712. pag. 929. De cœtero hoc loco non inutile foret venustissima HORATII verba insimul adducere, quæ extant L. I. Serm. 3. v. 124. sed, cum chartæ angustia illud non permittat, sufficiat saltim locum, ubi eadem deprehenduntur allegasse. De *Alfeno* autem, cujus in verbis excitatis mentio ab *Horatio* injicitur, alias notum est, quod natione Cremonensis fuerit, & ex sutore Jurisconsultus præstantissimus evaserit, uti infra etiam docebitur. Conf. AULUS GELLIUS, qui in *Noctibus Atticis* L.6. c.5. hujus insimul Alfeni meminit.

§. XX.

Nec adeo a veritate hæc conjectura videtur abludere, qua auguror, forte effrænem illam petulanter sentiendi & judicandi licentiam, quam hoc hominum genus sibi plerumque sumere solet, in culpa esse, ut non raro in pestilentissimos errores, ex quibus se difficulter iterum extricare possunt, incidant.

Ut *huic* §. aliqua affundatur lux, aliquot exempla in medium proferam, quæ omnino evincent, eam, de qua dixi, judicandi licentiam sutorio ordini ut plurimum propriam & quasi nativam esse. De notissimo illo Apellis censore, qui locutioni adagiali: *ne sutor ultra crepidam*, locum dedit, conferri potest PLINIUS in *Hist. Nat.* L.35. §.10. Alius cujusdam sutoris, qui homines facetiis scurrilibus lacessere & inde quæstum quasi facere olim consuevit, meminerunt TACITUS, JUVENALIS & MARTIALIS, qui sub Neronis imperio Beneventi vixit & Vatinius dictus est. De eo TACITUS *Annal.* L.15. C.34. ita scribit: *Vatinius inter fœdissima aulæ Neronis ostenta fuit, sutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus: primo in contumelias assumptus, deinde optimi cujusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos præmineret.* Ab eodem isthoc Sutore viliora illa vasa, quæ capacitate & magnitudine alia quam maxime superabant, *Vatiniana* quondam dicta fuere. Nam *Vatinius* civibus suis pretiosa & affabre confecta vasa exprobratu-

rus deformi calice vitreo utebatur, qui quatuor roſtris naſorum inſtar protenſis inſtructus erat. Hinc apud JUVENALEM, *Sat.* 5. hæc verba leguntur:

Tu Beneventani Sutoris nomen habentem

Siccabis calicem naſorum quatuor - -

Quam altos etiam gerant ſpiritus, quantoque elati faſtu frequenter ſutores turgeant, narratiuncula illa ſatis abunde teſtari poteſt, quæ de ſutore quodam Hiſpano eôdemque maxime egeno apud THOM. LANSIUM in *Conſultationibus* de principatu inter provincias Europæ p. 407. legitur. Illi nimirum, cum morti jam vicinus eſſet, aderat filius in paternam ſortem natus. Hic cum rogaſſet, ecquid ſibi deceſſurus præceptorum relinqueret? jam defecta voce pater, ut, inquit, memineris in majeſtatem aſſurgere familia tua dignam. Conf. JOH. BARCLAJUS in *Icone Anim.* c. 7. p. m. 225. Poſtremo loco illud adhuc ſubjungere licebit, quod B. D. NICOL. SELNECCERUS in ſuo *Commentario ſuper* 1. *Cor. Epiſtolam* f. 494. & 95. edit. Lipſ. de anno 1595. de *ſutore* quodam *Dreſdenſi* memorat, cum de inſolita judicandi licentia, quam ſibi ſutores arrogare ſolent, luculentum teſtimonium perhibere poſſit. Lubet autem ipſiſſima B. *Auctoris* verba ſtatim hic apponere, quæ loco citato ita leguntur: *Als er anno* 1578. *d.* 27. *April. Domin. Cantate in der Churfürſtl. Schloſs Kirchen zu Dreſsden in Gegenwart Churfürſtens Auguſti, ſeiner Gemahlin und geſammten Hoffſtadt von dem Straff-Amte des Heil. Geiſtes predigte, ward ein Wiederſpruch in der Gemeine gehöret: Du leugſt, du leugſt, es iſt nicht Gottes Wort, der Geiſt iſt nicht Gott, und ſtrafft die Welt nicht. Bald darauf lieſs ſich eine andere Stimme hören: Es iſt nicht wahr, es iſt Gottes Wort, der Heil. Geiſt iſt Gott und ſtrafft die Welt. Seine Gemahlin erſchrack darüber dermaſsen, daſs ihr alle Glieder zitterten, und ſie nicht länger ſtehen konte, ſondern ſich ſetzen muſte. Die gantze Gemeine war beſtürtzt, und D. Selneccer hielt ein wenig inne, faſste aber bald einen Muth, fuhr in Gottes Nahmen fort, und beſchloſs ſeine Predigt. Nach angeſtellter Unterſuchung befand ſichs, daſs ein verarmter Edelmann, Matthias von Dorn, der ein Dorff-Schulmeiſter worden war, durch Leſung wiedertäuffiſcher Bücher unter andern auch dieſe irrige Meynung gefaſt hatte, der H. Geiſt ſey nicht wahrer Gott. Der ihm aber geantwortet, war ein* Schuſter *und Bürger aus Dreſiden.* Equidem negari non poteſt, intentionem Dreſdenſis hujus calcearii per ſe quam maxime fuiſſe laudabilem, quandoquidem eo potiſſimum tendebat, ut veritatem de divinitate Spiritus S. quam vir nobilis plane deſtructum ibat, maſcule propugnaret; attamen vel propterea omnino vituperandus eſſe videtur, quod partim illud agere conatus fuerit, quod ipſius officium plane non exigebat, partim, quod temporis & loci non ſatis rationẽ ha-

tiam sibi frequenter sumunt, ut sacramento contenderes, ipsos eodem fere agitari spiritu, quo memoratus Apellis censor, Vatinius aliique quondam animati fuere, quique post horum obitum per quandam quasi μετεμψύχωσιν in ipsorum migrârit corpora. Ita enim scribit B. COLBERGIUS *im Platonischen Christenthum* P. I. p. 311. in vita *Böhmii*, se ex aliquo Böhmistarum, cum ipsum interrogasset: qui factum sit, quod Böhmius cum Mercurio Trismegisto in rebus plurimis tam amice conspiret? eandem fere responsionem tulisse; eodem scilicet spiritu agitatum fuisse Böhmium, qui in Mercurio Trismegisto ἐντελεχείας loco fuerit.

§. XXI.

Est præterea res maxime notatu digna, quando in actis publicis multorum sutorum ingenia tam inquieta & ad novas res avida esse leguntur, ut ad ciendas seditiones insolito & quasi nativo quodam ferantur impetu, siquidem experientia satis superque compertum fuit, tantam tamque efferatam esse proterviam tyrunculorum illorum, qui sutoribus in conficiendis calceis conductitiam addicunt operam, ut numero & frequentia sui sodalitii forsitan freti in civitatibus non leves frequenter excitarint tumultus, qui non nisi gravibus imperii edictis coërcendi fuerunt.

Sic v. g. STRUVIUS *in ausführlicher Historie von Religions-Beschwerden* P. I. p. 607. memorat, quod anno 1616. in Oris Austriacis cis Amasum sitis gravis quidam tumultus ortus fuerit, inter cujus præcipuos duces & auctores sutor quidam, Achatius Villinger extiterit. Quis est præterea qui nesciat, ante paucolos saltim annos *Ratisbonæ* & inprimis *Augustæ Vindelicorum*, varias a seditiosis & rebellibus calceariis turbas motas fuisse, quæ novellarum Auctoribus largam scribendi materiam suppeditabant. Conf. *Leipziger Zeitungen 1. Stück der 22. Woche, & 2. Stück der 35. Woche des Jahrs* 1727. p. 329. & 543. it. 1. *Stück der 48. Woche des Jahrs* 1726. p. 749. *und der Extract der 40. Woche ejusdem anni* p. 157., ubi loco posteriore peculiare quoddam *Conclusum a Senatu Augustano* contra rebelles calcearios publicatum hunc in modum legitur: *Nachdem man in allen dreyen Reichs-Collegiis* &c.

§. XXII.

Quemadmodum enim improbum & perversum κακοζηλίας studium homines non infrequenter a regio veritatis tramite in varia errorum lustra seducit, ita non improbabile videtur, quod sutores præpostera æmulationis libidine fascinati sua sponte occasioni errorum in Sacris tum fingendorum tum spargendorum sæpissime insidiati fuerint.

Fanatici nimirum, quo etiam nomine Anabaptistæ & Mennonistæ veniunt, perquàm ægre ferre solent, quod ministri Ecclesiæ mercede adducti suis fun-

gantur

gantur officiis, id quod etiam *Foxus* gratis fieri voluit, teste CROESIO in *Hist. Qvak.* p. 44. Imo Qvakeri sub initium suorum motuum id inprimis in Ecclesiarum, quas vocant, Protestantium Presbyteris criminabantur, quod illi ex sua, quam navarent opera, non saltim modicum & ad vitam tolerandam necessarium quæstum facerent, sed & amplum, & qua possent, luculentissimum. Hinc etiam non raro fieri solere affirmabant, ut iidem opibus avide inhiantes pristinas sæpius migrarent stationes, & illas ambirent, e quibus plurimum commodi & unctiora sperarent salaria. Conf. *Cræsius* ib. p. 102. Hunc autem morem, qui apud Lutheranos jam diu inolitus fuit, eo magis absurdum imo impium esse arbitrantur, quo luculentius ex ipsa Scriptura S. pateat, quod Apostoli temporibus Christi & in primitiva Ecclesia, longe aliter comparati fuerint. Nam, ut suæ sententiæ ex S. Codice quoddam quasi patrocinium venentur, ad exemplum D. Pauli vulgo provocare solent, qui *Act.* 18. v. 3. τὴν σκηνοποιῶ τέχνην exercuisse scribitur, ut inde sibi victum lucraretur. Conf. CAVEUS *in vita Pauli*. Et, si verum fateri licet, negari omnino non potest, quod in Ecclesia primitiva aliis opificibus facultas publice docendi demandata fuerit, qui, ut vitæ suæ sustentationi prospicerent, suis una opificiis fungebantur, id quod GOTTFR. ARNOLD. *in Abbildung der ersten Christen* L. 2. c. 8. variis exemplis copiose probat. Ita v. g. p. 244. *ad Eutychium* provocat, qui in *Originibus* suis *Ecclesiasticis* alicubi memoret, quod Evangelista S. Marcus sutorem quendam Patriarcham urbis Alexandriæ quondam constituerit. Item POSSIDONIUS in vita *Augustini* l. 15. refert, quod FIRMUS quidam, qui olim mercatorem egerat, simulque sectæ Manichæorum fuerat addictus, in Episcopum Hipponensem electus fuerit, & *Gratianus* dist. 61. c. 8. testatur, Pannifici cuidam SEVERO eandem dignitatem collatam fuisse. BARONIUS in *Annalibus* A. CCXXXII. n. 12. memorat, quod olim carbonarius quidam ALEXANDER a Græcis eodem doctoris publici honore ornatus fuerit, & simul de ipso hæc refert, quod primo, cum insigni sqvalore sordidus, qualis nempe ex suis carbonariis prodierat, cœtui repræsentaretur rejectus, mox autem, cum post lavationem nitidiusculus & majori munditie conspicuus appareret, unanimi consensu receptus fuerit. Porro *Arnoldus* loco citato exempla Episcopi cu-

nensi quondam constitutum, quô Minister Ecclesiæ, si subeundo labori per corporis viriumque robur satis habilis & idoneus esset, opificio cuidam operam dare jussus fuerit. Si præterea temporis angustia pateretur, fusius hoc loco ostendi posset, quod omnino veteribus solemne fuerit studiis opificia jungere, ut ex utroque victum quærerent. Sic v. g. ÆGID. MENAGIUS in *Observat.* ad DIOG. LAERT. L. 1. Sect. 81. & L. 2. Sect. 131. duorum Philosophorum, MENEDEMI & PILLÆI exempla producit, qui utrique noctu in pistrino molendo vitam suam commemorantur sustentasse. Conf. CHRIST. WILH. LOESCHERI diss. *de consvetudine veterum opificia cum studiis conjungentium* Witteb. anno 1696. habita. Verum enim vero cum nullibi in toto S. Codice peculiare quoddam Dei mandatum reperiatur, quô præsertim Ministris Ecclesiæ serio injunctum fuerit, ut mores & exempla horum, quos modo recensui, hominum æmulari debeant, certe non video, qua ratione Fanatici suspicionem fatuitatis declinare possint, quod omni contentione eo allaborant, ut nobis persvadeant, nostrum omnino esse veterum consvetudines per præposteram quandam κακοζηλίαν imitari. Imo vix adducor, ut credam ipsos tam stolide acturos fore, ut hac in parte vestigiis Apostolorum doctorumque primitivæ Ecclesiæ tanta cum superstitione insisterent, si Scripturam S. reverenter haberent, ipsiusque summi Numinis constitutionem, quam in V. pariter atque N. T. observari semper voluit, probe secum perpenderent. Conf. *Deut.* 18. v. 1. sqq. c. 24. v. 15. c. 26. v. 12. *Luc.* 10. v. 7. 1. *Cor.* 9. v. 13. & 14. 1. *Tim.* 5. v. 18. it. CHR. THOMAS. diss. *de Salariis Clericorum.* Quæ cum ita sint, CROESIUS p. 45. peropportune monet, dum *Foxum*, qui in eadem cum omnibus Qvakeris sententiâ versabatur, carpit: *Quibus in rebus Foxus non considerabat, quam positii caussis his sua caussa non multum essent dissimiles, ut cujus circumcursio atque opera omnis quidem gratuita esset, ast ita tamen, ut ei, antequam peteret, necessaria omnia a suis deferrentur.*

§. XXIII.

Accedit postremo loco benignior illa opinio, quam Fanatici de hoc opificio tanquam innocentissimo quæstus genere sibi vulgo concipiunt, ita, ut illud præ reliquis aliis eligere soleant.

In TALMUDE ejusque *tractatu Kidduschim* fol. 82. Col. 2. hæc inter alia verba leguntur: רבי מאיר אומר לעולם ילמד אדם לבנו אומנות נקייה וקלה hoc est: *Rabbi Meier, homini, inquit, incumbere, ut suum filium ejusmodi opificio mancipet, quod non prorsus illiterale & sordidum sit.* Conf. EISENMENGER. *in seinem entdeckten Jüdenthum* P. 1. c. 8. pag. 347. Huic sententiæ omnino affines esse videntur Fanatici, cum constet illos de sutorio imprimis opificio tam honorifice sentire, ut illud suis asseclis tan-

quam

quam innocentissimum quæstus genus præ reliquis quàm maxime commendare solerent. Hoc inter alia relatio illa, quæ *in Unschuldigen Nachrichten de anno 1706. p. 432.* sqq. occurrit, testari potest, ubi nimirum Quakeri cujusdam *Hilarii Prachii*, epistola recensetur, in qua ad alium suæ sectæ hominem de uno filiorum suorum ita scribit: *Meinen Sohn Ephraim lassen die Freunde allhier in Londen das Schuster-Handwerck lernen. Das Handwerck habe ich ihm vorgeschlagen darum, weil Jacob Böhme ein Schuster gewesen, und George Fox der erste unter unsern Freunden, dem GOtt den Mund geöffnet, und der zuerst die silent meetings oder stillen Versammlungen angegeben, durch den Ruff GOttes ein solcher ist, und sonst unterschiedliche Sprecher und hochbegabte GOttes-Männer bey unserm Ministerio Schuster gewesen.* Ibidem p. 448. de *Hilario Prachio* refertur, quod antea Pastor & Ecclesiastes Goldbergensis in Silesia fuerit linguarum orientalium & cæterorum studiorum peritissimus, quem B. D. *Geier, Acoluth, Wagenseil, Meelführer* aliique Viri eruditi magni æstimaverint. Anno autem 1674. d. 4. Junii una cum suo genero, *Joh. Georgio Matern*, Minist. Candid. & Lycæi Goldbergensis Collega totaque sua familia in Angliam secessit, &, postquam suo se officio, quo per decennium fere functus erat, ultro abdicaverat, cœtui Quakerorum se associavit illico, per frequentem Böhmisticorum, Weigelianorum, aliorumque Fanaticorum librorum lectionem procul dubio seductus. Conf. LIEFMAN de *Fanaticis Silesiacis* & B. D. WERNSDORFFII diss. *de eadem materia*, ubi §. 20. scribitur, quod circa annum circiter 1677. obierit. Nec improbabile est, quod CROESIUS huncce *Prachium* tecto fortassis nomine innuat; quando in sua *Hist. Quak.* p. 41. ita scribit: *Novi ego doctum & clarum Virum, qui hac nempe tam secunda fama de Quakeris permotus trajecit in Angliam, atque accedens eos homines, cum exspectationem ipsius ipse conspectus & cognitio superaret, se totum illorum dedit addixitque partibus.* De Georgio Foxo CROESIUS in *Histor. Quakerorum* p. m. 20. hæc inter alia adducit: *Foxus circumspiciens, qua ratione sibi potissimum in futurum prospiceret ad sustinendam vitam, cæpit de ejusmodi cogitare opificio, quod esset honestum & utile, cujus usus atque emolumentum hominibus nunquam deesse poterat, sibi vero nunquam non prodesse ad vitæ conditionem, videlicet*

priscarum gentium hac in re provocare licet, inter alias Græcis jam olim idem persuasum fuisse scimus, utpote quorum benignior opinio, quam de calceariis plerumque foverunt, vel exinde satis liquido apparet, quod peculiarem quandam legem condidisse traduntur, qua sutor, qui una sacro doctori publici officio fungeretur, operis manuariis, si sacris interesset, vacare vetabatur. Conf. GOTTFR. ARNOLD. *in Abbildung der ersten Christen* L. 1. c. 8. Sect. 7. p. 245. ubi Nomo-Canonem allegat apud COTELERIUM c. 102. p. 85. Tit. 1. Ex hac ipsa etiam causa superstitiosi Deastrorum gentilium cultores non immerito culpandi sunt, quod olim Apostolo Paulo, qui uti ex *Act.* 18. v. 3. patet σκηνοποιὸς seu *tentoriorum*, quæ ex corio fiebant, fabricator fuisse dicitur, a plerisque autem inter ethnicos pro sutore habebatur, hoc opificium eo ipso quasi exprobrarent, quod eum per contemtum τὸν σκυτοτόμον, i. e. *sutorem*, vulgo appellarent. Conf. SUICERUS *in Thesaur. Eccles.* tit. σκυτοτόμος. Neque vero, ut hoc obiter moneam, eodem teste, alii defuerunt, qui cum persuasi essent, Paulum sutorio opificio quondam addictum fuisse, eundem hoc nomine sutoris insignire solebant, id quod v. g. THEODORETUS *in suis Therapeuticis* Serm. 5. 8. & 9. fecit, ubi Paulum disertis verbis τὸν σκυτοτόμον, h. e. sutorem aliquoties nuncupat. De cætero tamen, ut ex quodam quasi diverticulo in orbitam redeam, Fanatici merito hoc vapulant nomine, quod opificio sutorio peculiarem quandam sanctitatem tribuant, ita, ut pro nescio quo statu acquirendæ perfectionis venditent. Nam, ut verba MAIORUM *in Form. Conc.* p. 385. hoc loco quasi mea faciam, *si hoc concedendum erit, nihil magis opificium sutorium erit status perfectionis, quam vita agricolæ aut fabri. Nam hi quoque sunt status acquirendæ perfectionis. Omnes enim homines in quacunque vocatione perfectionem debent expetere, h. e. crescere in timore Dei, in fide, in dilectione proximi & similibus virtutibus.* Ut denique verborum omnium compendium faciam, saltim provoco ad luculentum quendam locum, B. LUTHERI, ex quo, opificium sutoris ad sanctitatem vitæ nihil prorsus facere, luculenter apparet, quique ab HENR. MÜLLERO *in der Epistolischen Schluss-Kette* Fest. Circumc. Christi f. 531. allegatur & ita se habet: *Wenn ein junger Knabe das Schuster-Handwerck lernete, und überkäme einen solchen Mann oder Schalck zu einem Meister, der ihn lehret, wie das Handwerck wäre ein Weg fromm und seelig zu werden, und der Knabe glaubet ihm und triebe das Schuster-Handwerck der Meynung, dass er dadurch müste seelig werden, und möchte ohn solchen Schumachen nicht seelig werden, liesse darüber alle andere Wege, Glauben und Liebe, was wolltest du hier thun? Solte dich nicht des Knabens erbarmen? soltest du nicht dem Meister feind seyn und ihm alles Unglück wünschen? Wie wilt du nun dem Knaben*

helffen?

helffen? wilt du sagen, lieber Sohn, Schuster-Handwerck thut es nicht, es gilt nicht Schuster im Himmel, du must ein Schneider werden, so führest du ihn aus einer Hölle in die andere, und du bist eben so fromm als jener Meister. Wie die thun, die da rathen einem Pfaffen, daß er ein Münch werde, einem Münch, daß er in einen andern Orden gehe, und werffen also die Seelen und Gewissen aus einer Brat-Pfanne in die andere. Sondern also must du ihm helffen, Lieber Sohn, es ist hie weder Schuster noch Schneider, sondern du must an Christum gläuben und darnach deinem Nächsten thun, wie du gläubest, daß dir Christus gethan hat, darnach bleibe ein Schuster, oder werde ein Schneider, wie du wilt.

§. XXIV.

Etsi vero ex iis, quæ jamjam dicta sunt, satis appareat, non levem sutorio ordini maculam exinde aspersam fuisse, cum constet, ex hoc quam plurimos sæpe prodiisse, qui auctoritatem religionis Christianæ variis corruptelis & erroribus, qui Fanaticismum redolent, convellere audacter conati fuerint; nefas tamen & maxime injuriosum est omnes sutorum tribus conviciis & opprobriis exinde lacessere, cum hoc obtrectatorum sit & ab officio probi & Christiani hominis quam maxime alienum.

Absit quidem, ut vanam & fatuam Judæorum sententiam approbem, qua opificio sutorio vel maxime propterea insignem sanctitatem quandam solent tribuere, cum perhibent, pium illum *Enochum* arti suendorum calceorum aliquando fuisse deditum. Ita enim in magno illo JALKUT RUBENI fol. 28. col. 2. ejusque *Paraſcha Bereſchith* fabulantur, Enochum veteramentarium quendam Sutorem fuisse, & EISENMENGERUS *in seinem entdeckten Judenthum* P. 2. c. 7. p. 400. ipsissima verba, quæ ibidem extant, hunc in modum allegat: מטטרון היה תופר מנעלים ועל כל תפירה מכוון ואמר ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד: hoc est: *Metatron*, hoc enim nomine RR. Enochum plerumque insigniunt, *erat arti Sutoriæ deditus & ad singulas, quas peragebat, saturas probe advertens dixit: Nomen gloriæ regni ipsius sit benedictum in secula.* Nec minus in *Jalkut Chadaſch*, fol. 25. c. 2. n. 18. sub titulo *Eliahu* hæc verba le-

quoque dentur, qui, dum intemeratæ pietati ſtudent, ſuoque rite perfunguntur officio, hanc Fanaticorum impietatem & ſtultitiam merito abominantur tantoque proſequuntur odiò, ut probitatis & honeſtatis laude defraudari non debeant. Hoc ex CROESII teſtimonio evidenter liquet, quando in *Hiſt. Quak.* L. I. p. 22. multos, inquit, ſocios operatorios Foxi ſermones ac ſeveritatem ferre & illius contradictiones & contumelias ſuſtinere amplius non potuiſſe. Conſtat præterea, quod ex ſutorum familiis viri non ignobiles ſæpe orti fuerint, uti duorum *Romanorum Pontificum*, URBANI IV. & JOHANNIS XXIII. aliorumque eruditorum virorum nempe, B. D. JOH. GEORGII DORSCHAEI, Theologi quondam Argentoratenſis & Roſtochienſis, FRIED. TAUBMANNI, aliorumque, quorum patres ex ſutorio fuerunt ordine, exemplis probari poteſt, id quod calceariorum tribui non in exiguam laudem cedit. Conf. B. GOETZIUS in Schediaſmate de *doctis Sutoribus* §. I. ubi ingentem doctorum virorum ex facultate Theologica Juridica & Medica catalogum exhibet, qui ſutores habuere parentes, nec non vita *Dorſchæi* a JOH. FECHTIO conſignata & Commentario in 4. Evangeliſtas præmiſſa. Nemini etiam facile ignotum eſſe poteſt, quod e nonnullis Sutoribus, poſtquam priſtinum vitæ genus migrarunt, eruditiſſimi & celeberrimi Viri ſæpe exorti fuerint, uti teſtantur exempla ALFENI VARI, *Cremonenſis*, qui relicta ſutrina ſtudio Juris ſe applicuit & poſtea in præſtantiſſimum JCtum evaſit, JOH. BAPTISTAE GELLI, docti cujusdam Itali Florentini, de quo conf. JAC. AUG. THUAN. *Hiſt.* L. 36. pag. 318. Edit. Francof. de anno 1614. It. Notitiæ literariæ & Hiſtoria de Viris illuſtribus Academiæ Florentinæ P. I. qui extat in *Actis Erudit.* de anno 1701. p. 504. DAVIDIS PAREI, BENEDICTI BALDUINI, qui ipſe teſtatur, in tract. *de calc. ant. & myſt.* p. 66. ſe adoleſcentulum in patris ſutrina conſuendis calceis operam dediſſe, unde poſtea occaſionem de calceo antiquo & myſtico ſcribendi captavit, THEODORI FABRICII D. & Superint. Anhaltini, qui poſtquam arti ſutoriæ ſe conſecraverat, ad literas animum convertit, M. JOACH. WESTPHALI, Theol. Roſtoch. qui a. 1642. obiit, M. CHRIST. JUNGERI, Gymnaſii Miſenenſis Collegæ, ut plures alios jam taceam. Conf. de duobus poſterioribus GOETZIUS in Schediaſmate de *doctis Sutoribus* p. 16. & 17.

§. XXV.

Noſtrum potius eſt monere hos bonos homines, ut divino adjuti auxilio a quavis ſeductione ſibi caveant ſedulo, &, ne in πολυπραγμοσύνης ſuſpicionem prolabantur, ita rerum ſuarum ſemper ſatagant, ut pro virili ſuo officio ſatisfaciant, & proborum civium numeros ita impleant, ut rerum aliarum, quas noſſe ipſorum non intereſt, prorſus fiant incurii.

Conſtat

Conſtat inter omnes, quod πολυπραγμοσύνης vitium tantam hominum frequentiam ſæpe in diverſa rapere & infeſtare ſoleat, ut Seneca Ep. I. non ſine ratione queratur: *Magnam vitæ partem multis elabi male agentibus, maximam nihil agentibus, totam aliud agentibus.* Neque etiam, ut exempla ſutorum illorum fanaticorum, in quibus per totam diſſertationem jam nimius fui, teſtantur, inter calceariorum ordines defuerunt, qui ingenioſi in alieno labore ſuum officium plane negligunt & proinde eorum numero cenſendi ſunt, qui μηδὲν ἐργαζόμενοι, ἀλλὰ περιεργαζόμενοι vocantur ab Apoſtolo 2. *Theſſ.* 3. v.10. Nam ſtulti iſti homines, uti BERNHARDUS *de modo bene vivendi* c.54. judicat dum alienos errores volunt reprehendere, demonſtrant ſuos. Conf. *Syr.* XI. v. 10. *Prov.* XII. v. 11. *Luc.* IX. v. 62. Hæc itaque περιεργία cum hominem Chriſtianum maxime dedeceat nihil magis ſollicitius & præter hanc a nobis vitari debet, ſecundum D. *Petri* monitum, quod *prioris Epiſt.* cap. 4. v.15. extat: *μὴ γάρ τις ὑμῶν πασχέτω ὡς φονεὺς, ἢ κλέπτης ἢ κακοποιὸς, ἢ ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος.* Imprimis, cum teſte BERNHARDO lib. II. de *Conſiderat.* otioſitas mater nugarum & virtutum omnium noverca ſit, ſutores probe monendi ſunt, ut ab omni otio ſolerter caveant, ne per illud ad τὴν πολυπραγμοσύνην, quæ ſicut peſtis cane & viperino ſanguine cautius vitanda eſt, temere ſeducantur.

§. XXVI.

Nec enim ignotum cuiquam eſſe poteſt πολυθρύλλητον illud, quod diu in proverbii conſuetudinem abire cœpit: *Ne Sutor ultra crepidam.*

COROLLARIA.

I Perverſis intellectus judiciis vitiorum recte adſcribitur fons atque ſcaturigo.

II. Ergo intellectus emendatio voluntatis correctionem antecedat neceſſe eſt.

III. Sarcaſmus ſummo atque perfectisſimo Enti adſcribi non poteſt.

IV. Ergo verba Dei Gen. III. com. 22. per Sarcaſmum fruſtra a JOH.

VIRO
MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
M. JOHANNI QVODVULTDEUS BÜRGERO,
VENERANDI MINISTERII IN VRBE EPISCOPALI MARTISBVRGENSI SENIORI, ET AD DIV. MAXIMI PASTORI VIGILANTISSIMO
ET PRAECLARE MERENTI
S. P. D.
M. IEREMIAS FRIDERICI.

Parum certe abest, quin præsens hæc scribendi occasio dubium me reddat, cui potissimum Patri, an Filio, an mihimetipsi gratuler lætitia eaque intensissima undique perfusus. Quidni enim lætarissimam PARENTEM FELICISSIMVM, qui *Filium* ex se videt omnibus bonis maxime probatum. Ac ego quidem quoties non vulgares animi dotes, indomitam laborum patientiam, docilemque solertiam, & quod in Theologiæ Studioso caput est, sanam doctrinam cum summa vitae integritate conjunctam in Filio Tuo, VIR VENERANDE, intueor, toties TIBI eundem toto pectore gratulor, cum nullus sit, quem fugiat, per quam multos laribus patriis relictis in Academiis hærere, qui nec tempus, nec opes, nec ingenium recte collocant, sed cuticulam curant, spiritus perdunt, ingenium malis moribus corrumpunt, tempus autem, cujus irreparabilis est jactura, per otium ignaviamque transmittunt; at BÜRGERVS MEVS a quo tempore Almam nostram salutavit, nihil habuit prius, nihilque antiquius, quam ut seculi oblectamentis malorum incitamentis gnaviter neglectis tota mente in divinæ humanæque sapientiæ studiis defixus & SVMMORVM PATRONORVM expectationi, & TVÆ, *Vir admodum reverende*, de se conceptæ spei satisfaceret. Gaudere hinc mecum sinas *Filium dilectum*, qui haud leviter degustata literarum dulcedine, nunc eandem cum aliis communicare & MÆCENATVM benignitatem, ac TVAM non minus indulgentiam conscripto hoc publico eoque satis eleganti specimine fovere atque adaugere & locati apud nos temporis rationem reddere intendit. Me pariter exultare sinas, qui a TE habitus sum dignus, cujus moderamini hæc opella concrederetur, ansaque hoc ipso daretur meam inserviendi promptitudinem demonstrandi & testimonio de TVO egregiæ indolis *Filio* in publicum dato bene de TE merendi, meamque, qua TE jugiter colo, pietatem, declarandi. Deum precor immortalem, ut *Filii tui* studiis porro propitius adsit, & corporis animique vires largiter *Ipsi* impertiat, quo portum, quem respicit, ex TVO meoque voto progressu temporis consequatur! Vale, mihique, quod huc dum fecisti, fave!